Digitized by Google

XLIX . D . 50

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
D
50
NAPOLI

Digitized by Google

CHRONICA ORDINIS FRATRVM EREMITARVM SANCTI AVGVSTINI

FRATRE IOSEPH PAMPHILO
Epiſcopo Signino Auctore:

IN quibus, præter alia ſcitu digna, iuxta temporum ſeriem exponuntur breuiter, qui cum ſuperioribus, tum noſtro ſæculo viri, vel ſanctitate, vel doctrina, vel rebus egregie geſtis in eo ordine illuſtres fuerint, ac ſint.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.



ROMAE,
EX TYPOGRAPHIA GEORGII FERRARII.
M D LXXXI.

NAPOLI

IACOBO SABELLO
CARDINALI
Epiſcopo Tuſculano,

SVMMI PONTIFICIS VICARIO,
Inquiſitori Maximo,

FRATER IOSEPH EPISCOPVS
Signinus S. P. D.

SApienter admodum ac præclare ab antiquis ſcriptoribus illud ſemper obſeruatum mihi videtur, vt quos libros edituri eſſent, præſtanti alicui & doctrina & nobilitate viro nuncuparent: cuius auctoritate & exiſtimationis quãplurimum nanciſcerentur, & ab inuidorum calumnijs liberarentur, ac vindicarentur. Quod temporibus noſtris maxime mihi obſeruandum uidetur: quibus tantus ſcriptorum numerus extitit, qui magna in gloria po-

ſuerunt aliorum ſcripta in re quamuis minima carpere, & dilacerare. Itaque cum edere conſtituerim Ordinis Eremitarum S. Auguſtini hiſtoriam; qua etiam iuxta temporum ſeriem expoſui breuiter, qui cum ſuperioribus, tum noſtro ſæculo viri vel ſanctitate, vel doctrina, vel rebus egregie geſtis illuſtres in eodem Ordine floruerunt, florentq́; tibi eam potiſſimum Iacobe Cardinalis ampliſſime nuncupare ſtatui: quoniam ad Sabellæ ſplendorem familiæ, & ad reliqua tua tot tantaq́ ornamenta accedit te eiuſdem noſtri Ordinis eſſe Protectorem vigilantiſſimum: vt dubitandum non ſit, quin patrocinium optimum ſit liber hic conſecuturus. Inſuper meæ erga te obſeruantiæ ac pietatis, quod diu deſideraui, teſtimonium aliquod extabit. ac ſpero te (quæ tua benignitas eſt) nõ minimam percepturum voluptatem, dum intelliges cuius Ordinis dignitatem commendatam habeas, & quot, & quàm clari viri tutelæ tuæ traditi ſint. Vale. Signiæ.

AD FRATRES EREMITAS ORDINIS SANCTI AVGVSTINI.

PRAEFATIO.

NON eſt cur miremur magnum a veteribus ſtudium, multumq́. operæ in hiſtoria poſitum eſſe: vix enim dici poteſt quantum ad vitam excolendam conferat præteritorum temporum, hominum, rerumq́. geſtarum memoriam tenere; & rerum publicarum, regnorum, religionumq. origines, incrementa, ætates, cauſas, auctoreſq. cognoſcere. etenim nihil eſt, in quo maior uis ad hortandum, & deterrendum ſit, quàm in exemplis; exemplorum autem pleniſſima hiſtoria eſt. vt vel hac vna ſine Philoſophorum voluminibus homo ad virtutis genus omne informari ſatis poſſit, ſi Græcorum, aut Romanorũ res geſtas aliquis aſſidue, diligenterq. legerit, huic nõ erit opus Academicos, aut Peripateticos, aut quos uis alios de ratione viuendi diſſerentes, & bene viuendi præcepta dantes audire: quoniam vel ciuilem, vel militarem virtutem ſpectet, ipſa rerum geſtarum explicatio admonitionibus optimis abũdat. Qui Euangelicam hiſtoriam frequenter & legunt, & meditantur: item illa, quæ litterarum monumentis tradita ſunt de tot ſanctorum virorum doctrina, moribus, fide, pietate, & miraculis; hi Chriſtianæ pietatis ſtudio ſic accenduntur, vt negari non poſſit magno hiſtoriam præſidio eſſe ad vitæ melioris cultum, & ad veram felicitatem conſequendam. quamuis autem hæc ſit omnis generis hiſtoriæ laus; in patrijs tamen maior quædam vis quàm in alienigenis ineſſe videtur: quippe cũ naturæ quodam iure teneamur maiorum noſtrorum præclara facinora imitari:

tari:

tari: quamobrem ſtudio etiam maiori ſunt a nobis domeſtica, quàm externa perquirenda. Propterea, fratres cariſſimi, cum ego non minimam olim operam in hiſtorijs omnigenis perlegendis conſumpſerim, neceſſarium quoque mihi viſum eſt nō minori ſtudio res noſtri Ordinis indagare. quód equidem feci. at quàm feliciter ſucceſſerit ipſi iudicabitis: labore & ſumptu non exiguo opus fuiſſe ipſe mihi ſum teſtis; nam auctores non paucos aut ſpernendos de rebus noſtri Ordinis ſcripſiſſe reperi, ſed plurimos, atque nobiliſſimos: nec fuit contemnenda opera eiuſdem Ordinis regeſta, Pontificum diplomata, priuatas monaſteriorum memorias, bibliothecas, & priuata diuerſorum locorum Chronica, quæ non omnibus in promptu ſunt, euolvere, & quæ in illis erant notatu digna notare & excerpere. Factum eſt autem hoc labore, vt ego intellexerim noſtri Ordinis non ſolum veram & antiquiſſimam originem, (habuimus enim auctorem Auguſtinum ſanctum anno poſt Chriſtum natum trecenteſimo octuageſimo ſeptimo) ſed etiam amplitudinem & maieſtatem; cum viderim ex maioribus noſtris, poſt auctorem ipſum ſanctiſſimum innumerabiles extitiſſe omni virtutis genere ornatiſſimos, & cum quibuſcumque aliorum ordinum viris clariſſimis comparandos, non defuerunt nobis Clyſei, Pauli, Antonij, Hilariones, Macarij, Serapiones, videlicet, Ioannes Bonus, Guilhelmus confeſſor, Guilhelmus Sengham, Guilhelmus Flete, Guilhelmus Recluſus, Auguſtinus Nouellus, Clemens ab Auximo, Henricus de Vrimaria, Hermannus Allenſis, Simon Caſſianus, Herthinodus Gothus, Vitus Hungarus, Nicolaus Tolentinas. Qui uero ingenio, & ſcientia rerum tam diuinarum quàm humanarum excelluerunt, qui publice docuerunt, qui de omni ſcientiarum genere volumina ediderunt, ac præſertim de Pontificis Romani auctoritate, Eccleſiæq. Romanæ dignitate aduerſus Imperatores & alios, ac de fide catholica aduerſus hæreticos ſcripſerunt: hi breui hoc præfationis ſpatio comprehendi non poſſunt: eſt autem tantus illorum numerus, tantaq. excellentia & virtus, vt aliorum nulli

Ordinem

Ordinem noſtrum poſtponendum affirmare non iniuria poſſimus: accidit etiam dum hæc ſingula quanta poteram diligentia perpenderem, vt volumen confecerim, quod Chronica appellare libuit, quoniam hoc maxime ſtudui, vt tempora, quibus ſinguli viri noſtri Ordinis inſignes floruerunt, aut memorãdum aliquid poſteritati reliquerunt, ordine deſcripta haberentur. Quod volumen publici, maxime autem ueſtri commodi gratia edendum ſtatui: hoc præſertim tempore inuitante me Georgio Ferrario homine certe egregio, cuius ſtudium ad ornandam Remp. eò potiſſimum cognoſcitur, quòd non cõtentus bibliothecam libris optimis Romæ inſtruxiſſe, magnis etiam ſumptibus libros imprimendi curam ſuſcepit: & ſumma erga noſtrum Ordinem voluntate hæc noſtra Chronica typis æneis cudenda curauit. Quæ ad vos fuerunt præcipue mittenda, quod ea noſſe ad uos maxime ſpectare, vt opinor, nemo negauerit: facio autem libentiſſimo animo, vt quorum dignitas, & ſalus curæ mihi ſemper fuit, vos & rerum pulcherrimarum monimentum habeatis, & exemplis tot illuſtrium virorum excitati ad virtutes ſequendas, & vitia declinanda, ad Dei optimi maximi gloriam, paratiores ſitis.

INDEX AVCTORVM, QVORVM OPERA VSI SVMVS.

Alanus Copus Anglus
Ambroſius Cariolanus
S. Antoninus
Angelus Politianus
Antonius Maria Venuſtus
Arnoldus Ferronus Burdegalen.
S. Auguſtinus
Auguſti. Iuſtinianus Nebienſis Epiſ.
S. Bernardus
Beda Presbyter
Bernardus Saccus Papienſis
Bernardinus Scardeonius Patauinus
Bibliotheca
S. Cęleſtinus Papa
Chronica Cremenſis
Chronica Mediolanenſis
Chronica Parmenſis
Chronica Viennenſis
Concilia
Dacius epiſcopus Mediolanenſis
Dionyſius Carthuſianus
Epitaphia
Franciſcus Petrarcha
Georgius Vaſarus Aretinus
S. Gregorius Papa
Haymon epiſcopus Halberſtaten.
S. Hieronymus
Hieronymus Torrenſis
Henricus de Vrimaria Auguſt.
Hiſtoria Francica
Hiſtorię Anglicæ
Iacobus Bergomenſis Auguſt.
Iacobus Sadoletus Card.
Innocentius Papa Tertius
Ioannes Andrea I. V. doctor
Ioannes Antonius Campanus
Ioannes Baptiſta Egnatius
Ioannes de Bacchone Carmelit.
Ioannes Iouinianus Pontanus
Ioannes Lelandus Anglus
Ioannes Tritemius
Iordanus Saxorius
Iſidorus epiſcopus Hiſpalenſis
S. Liberatus
Laurentius Surius Carthuſianus
Ludouicus Viues
Martyrologia
M. Aurelius Caſſiodorus.
M. Antonius Sabellicus
Martinus Papa Quintus
Monaſteriorum memoria
Odilo Abbas Cluniacen.
S. Paulinus Nolanus
Paulus Aemilius Veronen.
Petrus Bembus Cardinalis
Pogius Florentinus
Pontificum diplomata
Poſſidius Calamenſis epiſcopus
Proſper Aquitanicus
Raphael Volateranus
Regeſta Ordinis Auguſtiniani
Remigius Monachus
Robertus Sarisburienſis epiſcopus
Rubertus Abbas
Sigebertus monachus Gemblacen.
Thomas Colbius Anglus
Vareforlenſis Epiſcopus
Toletana ſynodus
Victor epiſcopus Vticenſis
Vincentius de Bandelis Dominican.

CHRO.

CHRONICA ORDINIS

FRATRVM EREMITARVM SANCTI AVGVSTINI.

A D. Patris Auguſtini ortu, vſque ad annum Domini M. D. LXXV.

ANNO à partu Virginis CCCLIV. idibus Nouembris, S. pater Auguſtinus natus eſt Tagaſtæ in Africa, haud longe à Carthagine, ex patre catechumeno nomine Patricio Carthaginienſi,& matre recente Chriſtiana nomine Monycha. Fratrem Nauigium, Laſtidianum vero & Ruſticum cōſobrinos habuit, ſocios Alipium & Euodium Tagaſtenſes, ac Nebridium Carthaginienſem. Adhuc puer Tagaſtæ, Madauris, & Carthagine liberalibus diſciplinis operam nauauit. Et à matre, Chriſti doctrina inſtitutus fuit: eius tamen baptiſmus tum ab ipſo, tum à matre eſt dilatus: quod factum ipſe non probat lib. Conf. 1. cap. 2. Præceptorem habuit Manilium Theodorū, virum præſtantiſs.& Chriſtianum. Aetatis anno decimo ſexto,

 diſci-

diſcipulus eſſe deſijt. Anno decimo octauo, filium Adeodatū Carthagine genuit. Et ſequenti anno, iam defuncto patre ante biennium, cum Ciceronis librum titulo Hortenſium de Philoſophiæ laudibus & defenſione, perlegiſſet; paulo poſt in Manichæorum ſectam omnium immaniſſimam lapſus eſt: in qua annis nouem vixit. Vigeſimo primo ætatis anno, Ariſtotelis categorias legit, ac omnes artium liberalium libros euoluit. Mathematicam, Muſicam, Arithmeticam ſine difficultate nullo præceptore intellexit: ac Rhetoricam, quam in patria profeſſus fuerat, Carthagine anno ſuæ ætatis vigeſimo quarto, publico ſtipendio docere cœpit. Quo tempore libris Genethliacorum penitus ſe dedit. diſcipulos inter alios habuit præcipuos Trigetium & Licentium ſuos ciues. Cum vigeſimum nonum annum ageret, cognitis Fauſti Manichæi (quem doctiſſimum exiſtimauerat) eiuſque detectis erroribus, Carthagine adhuc degens, à Manichæorū ſecta reſipiſcere ac reuocare ſe ipſe paulatim cœpit. Quo anno etiam Romam ex Africa inſcia matre venit, vt etiam in vrbe artem Rhetoricam profiteretur. Ineunte autem anno trigeſimo, Mediolanum publico ſtipendio accitus, profectus eſt, vt ibidem Rhetoricam doceret: vbi etiam à matre poſtea inuentus, atque eiuſdem orationibus, & frequenti Ambroſij Mediolanēſis epiſcopi auditione commotus, Manichæos qui eum annis nouem ludificauerant, omnino deſeruit. Poſtmodum autem tertio nonas Maij, ſuæ ætatis anno trigeſimo primo, cum in S. Simpliciani rus conceſſiſſet, ad Deum conuerſus, perfectus demum Chriſtianus effectus eſt: & ſcholæ Rhetorices renuncians, in villam Caſſiſiam, quam ſibi amicus nomine Vereccundus conceſſerat, ſimul cum matre, & ſocijs Alipio & Euodio Tagaſtenſibus, ac nebridio Carthaginienſi ſecedens, ibique ſe ad ſuſcipendum baptiſma præparans, ſcripſit libros contra Academicos, de Beata vita, de Ordine, & Soliloquia.

Anno Salutis. CCCLXXXVI. ætatis vero ſuæ trigeſimo tertio, Honorio Cæſare & Euodio Coſs. Auguſtinus cum Adeodato filio annorum ferme quindecim, & Alipio ſocio, à

S. Ambroſio

S. Ambroſio epiſcopo in ſolēnibus Paſchæ ſola ſuperſtite matre, eaque adhærente baptizatus eſt. Quo facto Monycha mater incredibili adfecta gaudio huiuſmodi verbis eũ dicitur adlocuta: Quid fili hic amplius faciam? curque hic diutius ſim neſcio? Vnum erat, quo vitam mihi prorogari cupiebam, vt te ſcilicet Chriſtianum viderem: quod mihi cummulatius Deus meus præſtitit; non enim modo te Chriſtianum & catholicum, ſed & contēpta felicitate terrena ſeruum eius aſpicio. Et Poſſidius ait, quòd ex intimis cordis medullis ad Deum conuerſus, mox ſpem omnem quam habebat in ſeculo, dereliquit: iam non uxorem, non filios carnis, non diuitas, non honores ſeculi quærens, ſed ſoli Deo cum ſuis ſeruire ſtatuit, in illo & ex illo puſillo grege eſſe ſtudens, quem Dominus alloquitur, dicens: Nolite timere puſillus grex, quoniam complacuit patri veſtro dare vobis regnum. Vendite quæ poſſidetis,& date eleemoſynam: Facite vobis ſacculos non veteraſcētes, theſauros non deficientes in cælis. Et illud, quod verum dicit Dominus, idem vir ſanctus facere cupiens: Si vis eſſe perfectus vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælis, & veni, ſequere me. Et ſuper fidei fundamentum ædificare deſiderans, non lingua, fœnum, ſtipulam; ſed aurum, argentum, & lapides precioſos.

Sanctus Dacius Mediolanenſis epiſcopus, cuius meminit S. Gregorius lib.3.dialog. cap. 4.loquens in ſuis chronicis de hac D. Auguſtini admirabili conuerſione, ait: Eodē tempore contigit, vt quidam magnus ſapiens, Manichæorum eſſet errore ſeductus, nomine Auguſtinus ,argumentis dialecticis armatus, & poſtea Dei fidelis, & catholicus viuens epiſcopus, cũ in eccleſia Mediolanenſi non orationis curioſitate, neque ſecundũ cauſam vtilem videndi & audiendi diuini myſterij, ſed reprehendendi gratia, beatum Ambroſiũ de Incarnatione Domini ad populum inueniſſet tractantem, atque prædicantem, oblitus ſui & ſuarum omnium cogitationum, pallens & tremens, omnibus qui aderant videntibus obriguit, ac etiam finita monitione, quam ad populum beatus Ambroſius miniſtrabat, pri-

mus ad eum Auguſtinus peruenit. Beatus autem Ambroſius cognita eius ſententia, patefactaq. eius diſciplina, quid in arte valeret, qualiter quoque in fide catholica diſſentiret, & per Spiritum ſanctum cognoſcēs qualiter fidelis & catholicus futurus eſſet, placidiſſime & multum charitatiue eum ſuſcepit. Itaque lætabatur beatus Ambroſius ſuper eum, ſicut in Euangelio de quodam parte legitur, qui cadens ſuper collum filij ſui quem perdiderat, & imponens annulum in digito eius, plorabat dum oſculabatur eum. Tandem vero poſt multos dies nutu diuino, ſicut multis videntibus & ſibi conſentientibus palam oberrauerat, ſic in fontibus qui beato Ioanni adſcribuntur, Deo opitulante, à beato Ambroſio cunctis fidelibus vrbis aſtantibus & videntibus, in nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis baptizatus & cōfirmatus eſt. In quibus fontibus, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. TE DEVM LAVDAMVS, decantantes, cunctis qui aderant audientibus & videntibus, ſimulque morantibus, ediderunt, quod ab vniuerſa eccleſia catholica vſque hodie tenetur, & religioſe decantatur. Hæc S. Dacius.

Cum Mediolano deceſſiſſet cum matre, filio, & ſocijs, vt in Africam ad lares proprios reuerteretur, atque ad Oſtia Tiberina veniſſet, ibidem pia mater eius defuncta eſt. Et peractis ex more maternis exequijs, Auguſtinus Carthaginem adnauigauit. Vbi per aliquot dies permāſit apud quemdam nomine Innocentiū virum religioſiſſimū, vt teſtatur lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 8. Ad propriam hinc domum, agroſq. veniens, cum ijs (vt Poſſidius ait) qui eidem adhærebant, Deo viuebat ieiunijs, orationibus, bonisque operibus, in lege Domini meditans die ac nocte.

Auguſtinus deinde eam ſibi vitam delegit, quæ monachica vocabatur: quod inſtitutum iam (vt facile credi poteſt) à S. Simpliciano monacho, qui eum de Chriſtiana religione plurimum erudijt, Mediolani ceperat. Propterea lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8. ait: Venientes de tranſmarinis apud Carthaginem, Innocentius ex aduocatus vicariæ præfecturæ cum tota domo ſua religioſiſſimus, me & fratrem meum Alipium nondum quidem

dem clericos, ſed iam Deo ſeruientes ſuſceperat. Et, lib. 3. cap. 40. contra litteras Petiliani Donatiſtæ, legitur: Deinceps perrexit ore maledico in vetuperationem monaſteriorum arguens etiam me quòd hoc genus vitæ à me fuerit inſtitutum. Et, in enarratione in Pſalm. 132. Quid ergo dicunt illi, qui nobis de nomine monachorum inſultant? Hi etiam inſultare nobis audent, quia fratres cum vident homines, Deo gratias, dicunt. Inueniſtis vnde appellatis agnoſtici, quia dicit Apoſtolus: Bonum agonem certaui. Quare ergo & nos non appellemus Monachos, cum dicit Pſalm. Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Et in Epiſt. 89. ad Hilarium, ſub finem: Ego, inquit, qui hæc ſcribo, perfectionem, de qua Dominus locutus eſt, quando ait diuiti adoleſcenti: Vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me: vehementer adamaui, & non meis viribus, ſed gratia ipſius adiuuante ſic feci. Neque enim quia diues non fui, ideo minus mihi imputabitur. nam neque ipſi Apoſtoli, qui priores hoc fecerunt, diuites fuerunt: ſed totum mundum dimittit, qui & illud quod habet, & quod optat habere, dimittit. Quantum autem in hac perfectionis via profecerim, magis quidem noui ego, quàm quiſquam alius homo; ſed magis Deus quàm ego. Et ad hoc propoſitum quantis poſſum viribus alios exhortor, & in nomine Domini habeo conſortes, quibus hoc per meum miniſterium perſuaſum eſt: ſic tamen vt præcipue ſana doctrina teneatur, nec eos qui iſta non faciunt, vana contumacia iudicemus. Et in Serm. de vita & morib. cleric. quem etiam in ſuo Indiculo Poſſidius inter D. Auguſtini opera connumerat, eumdemq. in Conc. Aquiſgran. & apud Bedam citatũ comperimus: Ego, inquit Auguſtinus, quem Deo propitio videtis epiſcopũ veſtrum, iuuenis veni ad iſtam ciuitatẽ. Quærebam vbi conſtituerem monaſterium, & viuerem cum fratribus meis: ſpẽ quoque omnem ſeculi reliqueram. Et paulo infra: Veni ad iſtam ciuitatem ad videndum amicum, quem putaueram me lucrari poſſe Deo, vt nobiſcum eſſet in monaſterio. Et infra:

Et quia

Et quia diſponebam eſſe in monaſterio, beatæ memoriæ ſenex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc eſt moanſteriũ. Cœpi boni propoſiti fratres colligere, compares meos, nihil habentes, ſicut nihil habebam, & imitantes me, vt quomodo ego tenuem paupertatulam meam vendidi, & pauperibus erogaui, ſic facerent & illi qui mecum eſſe voluiſſent, vt de communi viueremus. Et S. Paulinus in epiſt. ad Alipium, rogat, vt ſalutet fratres in monaſterijs, Carthagini, Tagaſtæ, Hippone regio, & totis parochijs ſuis, atque omnibus cognitis ſibi per Africam locis, Domino catholice ſeruientes. His interpoſitis ad Chronica redeamus.

Anno Chriſti CCCXCI. ineũte anno ætatis ſuæ XXXVIII. Auguſtinus à Valerio epiſcopo Hipponenſi accercitus, in eccleſia Hipponenſi presbyter ordinatur, mortuo iam Adeodato filio. Sequenti anno, quinto kl. Sept. in vrbe Hippone inſignẽ habuit duobus diebus cum Fortunato Manichæorum presbytero diſputationem. Duæ aliæ poſt fuere eiuſdem in eadem vrbe diſputationes, vna tribus diebus cum Felice Manichæo, altera acrior & celebrior cum Maximino epiſcopo Ariano.

Anno Chriſti CCCXCVI. ætatis ſuæ xli. Auguſtinus Hippone regio ciuitate Numidiæ in Africa epiſcopatum ſuſcepit, viuente epiſcopo Valerio, quem tanta ſanctitatis & doctrinæ laude annis triginta quatuor geſſit, vt tantam rei amplitudinẽ haud conſentaneum eſſe exiſtimare, velle hoc loco verbi perſequi. Cuius rei meminit & S. Paulinus ad Romanianum, vbi ait: Non autem tantum hoc ſcribimus gratulandum, quòd epiſcopatum Auguſtinus acceperit, ſed quòd hanc Dei curam meruerint Africanæ eccleſiæ, vt verba cæleſtia Auguſtini ore perciperent, qui ad maiorem dominici muneris gratiam nouo more prouectus, ita conſecratus eſt, vt non ſuccederet in cathedra, ſed accederet. Nam incolumi Valerio Hipponenſis eccleſiæ epiſcopo, coepiſcopus Auguſtinus eſt.

Hoc tempore fuit cũ Paſcentio comite Ariano in vrbe Carthaginienſi diſputatio: & antea priuatim & obiter cum Fortunato quodam epiſcopo congreſſus fuerat. Epiſt. 163.

Anno

Anno Chriſti CCCCXXVI. die xxvi. Septemb. Auguſtinus vnà cum duobus alijs epiſcopis in eccleſia conſedens, præſentibus presbyteris ſeptem, aſtante clero & frequenti populo deſignat presbyterum Heraclium epiſcopum ſucceſſorem ſibi. Epiſt. 110.

Anno Chriſti CCCCXXX. die xxviii. Auguſti, S. Auguſtinus Hippone obijt, libris Iuliani apoſtatæ, referente Proſpero Aquitanico inter impetum obſidentium Vandalorũ, ſub ipſum ſuæ vitæ finem reſpondens: quo etiam tempore, vt S. Liberatus ait, Theodoſius Imp. ad eum ſacram per Ebagnium Magiſtrianum ſcripſerat, vt Epheſino concilio præſtaret ſui præſentiam. Corpus ibidem in baſilica S.Stephani conditum, annis LXII. honorifice iacuit. Vixit annos LXXV. menſes IX. dies XVI.

OPERA D. AVGVSTINI,
Quæ ſcripſit Ethnicus.

ANNO ætatis xxvi. cum iam Carthagine Rhetoricã profiteretur, ſcripſit de Pulchro & apto libros duos, ad Icherium Romanæ vrbis oratorem, quem non nouerat de facie, ſed amauerat ob doctrinæ famã, quæ illi clara erat, & quædam verba eius audierat, & placuerat ſibi. Lib. 4. conf. capit. 13. Non extat.

Quæ ſcripſit Catechumenus.

NOndum baptizatus, ſed catechumenus iam, licet relicta ſpe quam terrenam gerebat, adhuc tamen ſecularium litterarum ſcientia inflatus, in agro Mediolanenſi degens, primũ ſcripſit opus contra Academicos tribus liberis diſtinctum. O vtinam Romaniane.

Librum de Beata vita, non poſt libros de Academicis, ſed inter illos in die natali ſuo ſcripſit, & tridui diſputatione compleuit, quem Manilio Theodoro docto & Chriſtiano viro dicauit.

cauit. Si ad Philoſophiæ portam.

Libros duos de Ordine, per idem tempus inter illos de Academicis ſcripſit: in quibus magna quæſtio verſatur, vtrum omnia bona & mala diuinæ prouidentiæ ordo contineat. Ordinem rerum Zenobi.

Libros alios duos inter hæc ſcripſit, quos cum in eis ipſe interroget, ſibique reſpondeat, Soliloquia nominauit. Voluentes mihi multa.

Librum de Immortalitate animæ, iam de agro Mediolanum reuerſus, ſcripſit. Et plane teſtatur, eum librum obſcurum & perplexum adeo eſse, vt vix à ſeipſo intelligatur. Si alicubi eſt diſciplina.

Libros diſciplinarum, hoc eſt, de Grammatica, de Dialectica, de Rhetorica, de Geometria, de Arithmetica, de Muſica, de Philoſophia, per idem tempus quo Mediolani erat baptiſmum percepturus, ſcribere conatus eſt: ſed earum ſolum de Grammatica librum abſoluit. De Muſica ſex libros Mediolani inchoatos, iam baptizatus, & ex Italia regreſſus in Africa, perfecit. Aliarum, ſcilicet, de Dialectica, de Rhetorica, de Geometria, de Arithmetica, de Philoſophia, ſola principia remanſerũt: quæ teſtatur ipſe ꝑdidiſſe, ſed haberi ab aliquibus exiſtimare.

Quæ ſcripſit Baptizatus.

IAm baptizatus cũ Romæ eſſet, nec ferre poſſet Manichæorum iactantiam de falſa & fallaci eorum continentia, ſcripſit duos libros, vnum de Moribus Eccleſiæ Catholicæ, alterũ de Moribus Manichæorum. In alijs libris ſatis opinor.

In eadem vrbe ſcripſit de animæ quantitate librum vnum, in formam dialogi: in quo diſſerit, vnde anima ſit, qualis ſit, quanta ſit, cur corpori fuerit data, cum ad corpus venerit qualis efficiatur, qualis cum abſceſſerit. Quoniam video te abundare ocio.

Cum adhuc Romæ remoraretur, habita diſputatione vnde ſit malum, tres libros illa diſputatio peperit, appellatos, de

Libero

Libero arbitrio: quorum ſecundum & tertium in Africa, iam etiam Hippone regio presbyter ordinatus, abſoluit. Dic mihi quæſo te.

Iam in Africa conſtitutus, conſcripſit duos libros de Geneſi iuxta allegoriam contra Manichæos. Si eligerent Manichæi. Deinde, vt ſupra commemoratum eſt, ſex libros de Muſica ſcripſit.

Per idem tempus ſcripſit librum, cuius eſt titulus, de Magiſtro, in quo oſtendit ſolum Deum veram ſcientiam docere. Quid tibi videmur efficere.

Tunc etiam, de Vera religione librum ſcripſit, qui ſic incipit: Cum omnes vitæ bonæ.

Quæ ſcripſit Presbyter.

IAm apud Hipponem regium ſcripſit librum de Vtilitate credendi, ad amicum ſuum nomine Honoratū tunc Manichæū. Si mihi Honorate.

Poſt librum præfatum ſcripſit de Duabus animabus contra Manichæos librum vnum. Opitulante Dei miſericordia.

Eodem tempore habita diſputatione contra Fortunatum quemdam Manichæorum presbyterum, qui plurimum temporis apud Hipponem vixerat, ſeduxeratque multos, à notarijs exceptam diſputationem, in librum memoriæ mandandum, cōferre curauit eiuſmodi tituli: Liber diſputationis contra Fortunatum Manichæum de quæſtione vnde ſit malum, an ex natura aut voluntate. Quinto. kal. Sept.

Per idem tempus coram epiſcopis hoc ſibi iubentibus, qui plenarium totius Africæ concilium Hipponeregio habebant, de Fide ac Symbolo diſputauit. Quam diſputationem, nonnullis eorum qui eum familiarius diligebant, ſtudioſiſſime inſtantibus, in librum contulit, titulo: De Fide & Symbolo.

Eodem tempore, De Geneſi ad litteram librum imperfectū condidit, cuius iuitium eſt: De obſcuris naturalium rerum.

De ſermone Domini in monte ſecundum Matthæum duo

B volu-

volumina. Sermonem quem locutus eſt Dominus.

Pſalmum contra Donatiſtas oratione proſa. incipit: Omnes qui gaudetis.

Contra Epiſtolam Donati lib. 1. Abs te ipſo præſente audieram. Non extat. Retractat, quòd in apoſtolo Petro tamquam in Petra fundata ſit eccleſia.

Contra Adimantum Manichæum volumen vnum, continẽs reſponſiones ad varias quæſtiones; quod ſic incipit: De eo quod ſcriptum eſt.

Quarumdam propoſitionum in epiſtolã ad Romanos expoſitionũ lib. qui ſic incipit: Senſus hi ſunt in epiſt. Pauli ad Rom.

Poſt expoſuit eiuſdem Apoſtoli epiſt. ad Galatas, non carptim, ſed continuanter. Cauſa propter quam ſcribit Apoſtolus.

Epiſtolæ quoque ad Romanos expoſitionem inchoauit. In epiſtola quam Paulus apoſtolus ſcripſit.

Inter ea ſcripſit quoque prolixum opus, quod tamen vnus deputatur liber, cuius titulus eſt: De diuerſis quæſtionibus octuaginta tribus: quod epiſcopus factus conſcribi curauit, cum diu ante, poſtquam in Africa veniſſet, pleraſque quæſtiones pertractaſſet.

De Mendacio item ſcripſit librum ad Conſentium, quem propter obſcuritatem & perplexitatem plane aboleri iuſſerat; ſed tamen poſtea incolumen eſſe voluit.

Quæ ſcripſit Epiſcopus.

Librorum, quos epiſcopus cõſcripſit, primi duo ſunt ad Simplicianum eccleſiæ Mediolanenſis antiſtitem, qui beatiſſimo ſucceſſit Ambroſio, De diuerſis quæſtionibus. Hoc opus ſic incipit: Gratiſſimum plane.

Deinde, contra epiſtolam Manichæi, dictam, Fundamentũ.

Poſtea, librum De agone Chriſtiano, fratribus in eloquio latino ineruditis humili ſermone conſcripſit, qui continet regulam fidei, & præcepta viuendi.

Perfecit deinde libros de doctrina Chriſtiana, quos imperfectos

fectos compererat. Compleuit ergo tertium, & addidit nouiſſimum, & in quatuor libros opus impleuit, quod ſic incipit: Sunt præcepta quædam.

Scripſit poſtea Confeſſionum ſuarum libros tredecim. Hoc opus ſic incipit: Magnus eſt Dominus & laudabilis valde.

Contra partem Donati lib. 2. In primo dixerat, ſibi non placere ſchiſmaticos ad communionē violenter artari legibus magiſtratuum: ſed id retractat lib. 2. Retract. cap. 5. Nam poſtea expertus eſt vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferre poſſet diligentia diſciplinæ. Non extat.

Contra Fauſtum Manichæum lib. 33. Fauſtus quidam fuit genere Afer.

Contra Felicem Manichæum lib. 2. & eſt diſputatio à notarijs excepta, cuius initium eſt. Honorio Auguſto.

De natura boni aduerſus Manichæos lib. qui ſic incipit: Summum bonum quo ſuperius non eſt, Deus eſt.

De fide contra Manichæos lib. qui ſic incipit: Vnus Deus Pater.

Contra Secundinum Manichæum lib. qui ſic incipit: Tua in me beneuolentia.

Contra Hilarium Tribunitium lib. qui ſic incipit: Qui dicunt mentionem. HicHilarius, contra quem ſcripſit Auguſtinus, morem, vt hymni ad altare dicerentur de Pſalmorum libro, maledica reprehenſione vbicumque poterat lacerabat. Non extat.

Quæſtiones Euangeliorum lib. 2. Hoc opus non ita ſcriptum eſt.

Adnotationum in Iob lib., quem obſcurum, & mendoſum eſſe monet.

De catechizandis rudibus lib. qui ſic incipit: Petiſti à me frater Deogratias.

Libros de Trinitate quæ Deus eſt, quindecim ſcripſit per aliquot annos: quibus deinde adiunxit à capite epiſtolam ad Aurelium epiſcopum Carthaginienſis eccleſiæ. Hoc opus poſt

epiſtolaw ſic incipit: Lecturis hæc quæ de Trinitate diſſerimus.

Per eoſdem annos ſcripſit & alios, in quibus ſunt De cõſenſu Euangeliſtarum lib.4.Inter omnes diuinas auctoritates.

Contra epiſtolam Parmeniani ad Terronium, lib. 3. Multa quidem & alia aduerſus.

De Baptiſmo lib. 7. contra Donatiſtas. In eis libris quos aduerſus.

Contra Cẽturij Donatiſtæ teſtimonia lib. cuius initium eſt: Dicis eo quòd ſcriptum eſt à Salomone. Hic non extat.

Ad inquiſitiones Ianuarij lib. 2. Ad ea quæ me interrogaſti.

De opere monachorum lib. ad venerabilem ſenem Aureliũ eccleſiæ Carthaginienſis epiſcopum.

De bono coniugali contra Iouinianum. Quoniam vnuſquiſque homo.

De orando Deo ad Probam lib. Et petiſſe te,& promiſiſſe me recolens. Epiſt.121.

De ſancta Virginitate lib. Librum de bono coniugali nuper edidimus.

De bono viduitatis, ſiue de ſancta viduitate ad Iulianam lib. Ne petitioni tuæ: In cuius fine meminit librorum ſuorum, De orando Deum, & de ſancta Virginitate.

Per idem tẽpus,De Geneſi ad litteram, hoc eſt,non ſecundũ allegoricas ſignificationes, ſed ſecundum rerum geſtarum proprietatem, ſcripſit libros duodecim. Teſtatur ipſe in eo opere plura quæſita quàm inuenta eſſe. Super his verbis, Fiat firmamentum, tradit Angelos tam bonos quàm malos ſubtilia habere corpora: & hæc in 3.lib. cap.10. oſtendit eſſe aerea; ſed per mortem indiſſolubilia, eo quòd præualeant in ipſis elementa magis ad agendum quàm ad patiendum apta. Cui ſententiæ cõſentiens in epiſt.115. ad Nebridium, ſcribit Angelos eſſe animantia aerea acerrimi ſenſus. Et in 3.lib. de Trinit.cap.1. ait, illos ſpiritale corpus habere, non cui ſubdantur, ſed quod ſubditum gerant. In enarrat.Pſal.85. aſſerit, corpora Beatorum futura poſt reſurrectionem, qualia ſunt corpora Angelorum: atque ibi plura repetit in explan. Pſal. 145. addens. corpus angelicum

gelicum inferius eſſe anima. Item lib. 2. de ciuitate Dei, cap. 23.docet, corpora Dæmonum eſſe aerea.& lib.15.cap.23.aſſerit,dæmones ea habere corpora quibus poſſint coire cum fœminis. Petrus Lombardus 2.ſentent.diſt.8. dicit Auguſtinum hæc protuliſſe non ita ſentiendo, ſed aliorum opinionem referẽdo: cum tamen non ſit veriſimile, vt Auguſtinus ex aliena ſententia tot locis locutus ſit; ſed magis ex ſua ipſius, imitatus nimirũ Philonem,Origenem, Lactantium, Hilarium, Baſilium, Athanaſium, Pſellum, & conſenſu omnium fere ſuo tempore ſcribentium. Subſcribit huic ſententiæ Io. Caſſianus lib.7. collat. cap. 13. Ioannes Damaſcenus lib. 2. theol. cap.3. & lib. 3. aduerſus Iconomaſtas. Itemq. ſynodus Nicæna ſecunda, in cuius 4. act. approbantur verba Ioannis epiſcopi Theſſalonicen. Diſſentiũt ab iſtis D. Thomas, ac pene omnes ſcholaſticæ Theologiæ profeſſores, ſequẽtes & ipſi nõ pudendos auctores, præcipue Dionyſium Areopagitam, Ioannem Chryſoſtomum, Gregorium Thaumaturgum, Cyrillum, & Decretum Lateranen. concilij, ſtatuens, credendum eſſe non ſolum corporeas,ſed & incorporeas creaturas, hoc eſt, Angelos, ex nihilo conditos.

Antequam finiret libros de Trinitate, & libros de Geneſi ad litteram, ſcripſit contra litteras Petiliani volumina tria. Noſtis nos ſæpe voluiſſe.

Item ſcripſit cõtra Creſconium Grammaticum Donatiſtam lib. 4. Quando ad te Creſconi.

Poſt hæc, Probationum & Teſtimoniorum contra Donatiſtas lib. 1. qui ſic incipit: Qui timetis conſentire Eccleſiæ catholicæ. Non extat.

Contra quemdam Donatiſtam librum alium, cuius initiũ: Probationes rerum neceſſariarum. Non extat.

Admonitionum Donatiſtarum de Maximianiſtis lib. Sic incipit: Quicumque calumnijs hominum. Non extat.

Per idem tempus de Diuinatione dæmonum ſcripſit libellũ, qui ſic incipit: Quodam die in diebus ſanctis octauarum.

De ſex quæſtionibus contra Paganos expoſitis ad Deo gratias, lib. qui poſt epiſtolam, quæ poſtmodum à capite addita

eſt,

eſt, ſic incipit: Monet quoſdam.

Expoſitio epiſtolæ S. Iacobi lib. qui ſic incipit: Duodecim tribubus quæ ſunt in diſperſione. Extabat ætate Caſſiodori, vt ex ſuo libro de diuinis lectionibus conſtat, vbi ait: Sanctus quoque Auguſtinus epiſtolam Iacobi apoſtoli ſolita diligentiæ ſuæ curioſitate tractauit, quam vobis in membranaceo codice ſcriptam reliqui.

De peccatorum meritis & remiſſione, ac de baptiſmo paruulorum ad Marcellinum lib. 3. Quamuis in medijs & magnis curam æſtibus. Extat etiam epiſtola ad eumdem de eadem re, quam etiam notat Poſſidius in ſuo Indiculo.

De vnico baptiſmo lib. qui ſic incipit: Reſpondere diuerſa ſentientibus.

De Maximianiſtis contra Donatiſtas lib. qui ſic incipit: Multa iam diximus. Non extat.

De gratia noui Teſtamenti ad Honoratum lib. in quo exponit Pſal. 21. Deus deus meus reſpice. Epiſt. 120. Quinque mihi propoſuiſti.

De ſpiritu & littera ad Marcellinum lib. in quo pertractat Apoſtolicam ſententiam, Littera occidit, ſpiritus autem viuificat, contra Pelagianos.

Inter hæc librum ſcripſit, cuius nomen eſt, De fide & operibus, qui ſic incipit: Quibuſdam videtur.

Poſtea ſcripſit opus, cui titulus: Breuiculus collationum cum Donatiſtis, quod ſic incipit: Cum catholici epiſcopi & partis Donati.

Librum etiam ſcripſit ſatis grandem titulo, Poſt collationē contra Donatiſtas, cuius initium eſt: Quid adhuc Donatiſtæ ſeducimini. Multo autem breuius id egit in quadam ad eoſdem epiſtola. Syluanus ſenex. epiſt. 152.

De videndo Deum, ad Paulinam lib. qui ſic incipit: Memor debiti, Epiſt. 112.

Commonitorium de videndo Deum ad Fortunatianum epiſcopum Siccenſem. Sicut præſens rogaui. Epiſt. 111.

De natura & gratia ad Timaſium & Iacobum contra Pelagianos.

gianos. Librum quem miſiſtis.

De ciuitate Dei, libros viginti duos, contra Paganos ſcripſit eo tempore, quo à Gotthis Roma ſub Alarico rege euerſa eſt. Hoc opus ſic incipit: Glorioſiſſimam ciuitatem Dei.

Inter hæc Oroſij cuiuſdam Hiſpani presbyteri conſultationi de Priſcillianiſtis & quibuſdam Origenis ſenſibus reſpondens, ſcripſit librum, cuius titulus eſt: Ad Oroſium contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas.

Scripſit etiam duos libros ad Hieronymum presbyterum ſedentem in Bethlchem, vnum de Origine animæ hominis, alterum de ſententia Iacobi apoſtoli, vbi ait: Quicumque totam legem ſeruauerit, offendet autem in vno, factus eſt omnium reus. Epiſt. 28. & 29.

Ad Emeritum Donatiſtarum epiſcopum lib. cuius initium eſt: Si vel nunc frater Emerite.

De geſtis Pelagij lib. Poſtquã in manus noſtras. Non extat.

Eodem tempore ſcripſit etiam librum De correctione Donatiſtarum, propter eos qui nolebant illos legibus Imperialibus corrigi. Hic liber ſic incipit: Laudo, gratulor, & admiror fili dilectiſſime Bonifaci. Epiſt. 48.

De præſentia Dei ad Dardanum lib. Fateor frater dilectiſſime Dardane. Epiſt. 57.

De gratia Chriſti, & De peccato originali contra Pelagium & Cæleſtium lib. 2. Quantum de veſtra corporali & maxime ſpiritali ſalute.

De geſtis cum Emerito Donatiſtarũ epiſcopo, librũ ſcripſit in Mauritania Cæſarienſi, qui ſic incipit: Glorioſiſſimis Impp. Honorio duodecimum & Theodoſio octauum conſulibus.

Super geſtis cum Emerito Sermonem citat Poſſidius cap. 5. Indic. ſic incipientem: Alacritatẽ veſtræ charitatis. Non extat.

Contra ſermonem Arianorum lib. qui ſic incipit: Eorum præcedenti diſputationi.

De nuptijs & concupiſcentia ad Valerium Comitem lib. 2. Hæretici noui dilectiſſime fili.

De locutionibus in quinque libros Moyſi, & Ioſuam, & Iudi

ad Proſperum & Hilarium. Dixiſſe quidem Apoſtolum.

Retractationum lib. 2. ſiue (vt Poſſidius ait) De recenſione librorum volumina duo.

Poſt quos ſcripſit librum de hæreſibus ad Quoduultdeum.

Opuſculorum ſuorum indiculi, Retract. lib. 2. cap. 41. & Epiſtolarum & Sermonum ad populum, in epilogo Retract. mentionem facit.

ALIA DIVI AVGVSTINI OPERA De quibus non eſt mentio in lib. Retract. ſed apud Poſſidium, Bedam, Eugippium, Caſſiodorum, aliosque graues & antiquos auctores.

DE Euangelio Ioannis à capite vſque ad finem Tractatus 124. Poſſid. cap. 10. Indic. Victor epiſcopus Vticen. lib. 1. S. Leo papa in epiſt. 95. ad Leonem Auguſtum. Caſſiodorus lib. de diuinis lect. cap. 7.

De epiſtola beati Ioannis apoſtoli ad Parthos, ſermones decē. Poſſidius cap. 11. Indic. Caſſiodorus de diuinis lect. cap. 8.

De diſciplina Chriſtiana lib. 1. Poſſid. cap. 9. Indic.

De decem chordis lib. 1. Poſſid. cap. 9. indic. Beda 1. Cor. 6. & 11. & 2. Cor. 12. & ad Epheſ. 5.

De cantico nouo & vita noua Tract. Poſſid. cap. 9. Indic.

De pænitentiæ medicina Tract. Poſſid. capit. 9. Indic. & eſt idem cum Homilia 50

De vtilitate agendæ pænitentiæ Tract. Poſſid. cap. 9. Indic. à Beda quoque citatur pluribus in locis. & eſt idem cum Homilia 27.

De paſtoribus Tract. Poſſid. ibidem. Conc. Aquiſgran. cap. 12. Extat quoque inter opera D. Hieronymi.

De ouibus Tract. Poſſid. ibidem.

De ſymbolo ad Catechumenos lib. 4. Poſſid. ibidem. Caſſiodorus lib. de diuin. lect. cap. 22.

De conuenientia decem præceptorum, & decem plagarum

libro Poſſidius ibidem.

De prædeſtinatione & gratia, ſeu de voluntate Dei lib. Poſſidius ibidem.

De continentia lib. ſiue ſermo. Poſſid. ibidem, & Eugippius tom. 2.

Quæſtiones de veteri & nouo Teſtamento lib. 2. quorum primus incipit: Aduerſus eos qui negant. Secundus vero: Cur facta & dicta dominica. Poſſidius cap. 3. Indiculi.

Speculum ſcripturarum. Poſſidius de vita Auguſtini cap. 28. & in Indic. Caſſiodorus lib. de diu. lect. cap. 16.

Quæſtionum Euangelicarum, ſeu mauis Adnotationum aliquot in Euangelium ſecundum Matthæum, lib. qui ſic incipit: Quod dictum eſt occiſos infantes. Poſſidius cap. 2. Indic. & in vita beati Auguſtini cap. 17.

Contra quinque hæreſes, ſiue de quinque hæreſibus Oratio. Poſſid. cap. 4. Indic. Beda Rom. 1.

De vtilitate ieiunij Tract. Poſſid. cap. 9. Indic.

De patientia Tract. Poſſid. cap. 9. Indic. Eugippius tom. 1.

Concio ad Catechumenos, contra Iudæos, Paganos, & Arianos. Poſſid. cap. 1. Indic.

Oratio aduerſus Iudæos. Poſſid. cap. 1. Indic.

Contra Arianos ad Paſcentium. Poſſid. cap. 5. & 12. Indic. & in vita beati Auguſtini. Epiſt. 174.

Contra epiſtolam Vincentij Donatiſtæ & Rogatiſtæ. Poſſid. cap. 5. & 12. Indic. Beda ad Gal. & Epheſ. Epiſt. 48.

Contra Maximinum hæreticum Arianorum epiſcopum, ſiue Collationes cum Maximino Arianorum epiſcopo, lib. 3. Poſſid. cap. 4. Indic.

Contra Felicianum Arianum de vnitate Trinitatis ad Optatum lib. 1. Poſſid. cap. 4. Indic. Beda 1. Cor. 1. Lanfrancus de corpore & ſanguine Domini.

De origine animarum, ac Pelagianiſtis, ad eumdem Optatum. Poſſid. cap. 6. Indic. Beda Rom. 9. Epiſt. 157.

Contra Petiliani Donatiſtæ epiſtolam, De vnitate eccleſiæ ad catholicos fratres lib. Poſſid. cap. 5. Indic.

Contra

Contra Fulgentium Donatiſtam lib. Poſſid.cap.5. Indic.

Ad articulos ſibi falſo impoſitos reſponſio. Poſſid. in Indic.

De eo quod dictum eſt à Deo ad Moyſen: Ego ſum qui ſum. Tract. Poſſid. in Indiculo.

De perfectione iuſtitiæ contra Cæleſtinum lib. Poſſidius cap. 6. Indic. Proſper contra Caſſianum, Fulgentius ad Monimum lib.1.quæſt.1.

De Epicureis & Stoicis Tract. Poſſid. cap.1. Indic.

De lectione Act. apoſtol, vbi Epicurei & Stoici philoſophi cum Apoſtolo Paulo cõtulerunt de teſtimonijs ſcripturarum, Tract. Poſſid. in Indic. cap.1.

De vita & moribus clericorum Sermones duo. Poſſidius cap.9 Indic. Beda 2.Cor.8. Conc. Aquiſgranen. cap.112.113. quod celebratum eſt ſub Ludouico Primo, anno 816.

De celebratione Paſchæ. Poſſid. cap.2.& 12.Indic. Eſt epiſt. 119. quæ extat quoque inter opera D. Hieronymi.

Sermo de Abſalon, qui patrem ſuum Dauid ob regni cupiditatem decreuit extinguere. Caſſiodorus de diuin. lect. cap. 2. Non extat.

Sermones tres de Perpetuæ & Felicitatis Natali, teſte Poſſidio. Non extat.

Sermo de Scillitanis martyribus, teſte Poſſidio. Non extat.

Sermo de Catulini natali, teſte Poſſidio. Non extat.

Ad Sixtum compresbyterum epiſt. 2. Poſſid. cap. 6. & 12. D. Proſper in fine contra Caſſianum Collatorem, meminit eas miſſas fuiſſe ad beatiſſimum apoſtolicæ Sedis tunc presbyterũ Sixtum, nunc vero Pontificem. Has agnoſcit Auguſtinus libro de bono perſeuerantiæ cap.21. Epiſt.104.105.

Ad Macedonium, De veris virtutibus. Poſſidius cap. 12. Epiſtola 52.

Ad Paulinum Nolanum, contra Pelagianos. Poſſid. cap 6. & 12. Indic. D. Proſper contra Caſſianum. Epiſt.106.

Ad Apringium iudicem de Circumcellionibus & Donatiſtis. Poſſid. cap.5. & 12. Indic. Epiſt.160.

Ad Marcellinum Tribunum de Donatiſtis. Poſſidius ibidem

Epiſtola 168. 169.

Ad Vitalem Carthaginienſem Pelagianum peſſimum. Poſſidius ibidem. Epiſt. 107.

Ad Catholicos contra Donatiſtas. Poſſid. ibid. Epiſt. 163.

Ad Feſtum Commonitorium contra Donatiſtas. Poſſidius ibidem. Epiſt. 167.

Ad Marcellinum, de Baptiſmo paruulorum contra Pelagiũ. Poſſid. cap. 9. Indic. Extat in finem epiſtolarum.

Ad Aſellicum De cauendo Iudaiſmo. Poſſidius cap. 1. & 12. Indic. Epiſt. 200.

Ad Conſentium De corpore Chriſti & noſtris corporibus in reſurrectione. Poſſid. cap. 12. Indic. & Eugippius tom. 2. cap. 343. Epiſt. 146.

Ad Pinianum, Albinianum & Melanianum contra Quæſtiones Pelagianiſtarum lib. 1. Poſſid. in Indic. Non extat.

Ad Aurelium de Geſtis Paleſtinis lib. 1. Poſſid. & Proſper. Non extat.

Sanctimonialibus obiurgatio & regula. Poſſidius cap. 12. Eſt epiſtola 109.

Homiliæ aliquot in librum Sapientiæ. Caſſiodorus de diuinis lectionibns cap. 5. Non extant.

Libris Iuliani in ipſo dierum ſuorum fine reſpondit. Proſper Aquitanicus in annorum digeſtione. Non extat.

Enarrationes, ſiue Tractatus, aut Conciones in Pſalmos. Poſſidius, Victor, Eugippius, Caſſiodorus, Beda. Et D. Auguſt. in Procemio Pſal. 118. profitetur ſe totum pſalterium partim ſermocinando, partim dictando expoſuiſſe.

Sermones de verbis Domini, & de verbis Apoſtoli, circiter 110. Sermones de tempore, & de ſanctis circiter 340.

Verum inter ſermones impreſſos quidam ſunt inſerti, præſertim de verbis dom. 28. qui integre deſcriptus eſt ex cap. 4. lib. 5. de ſacramentis D. Ambroſij. Et ſermo 35. de ſanctis, in quo citatur Iſidorus, eſt Fulperti Carnotenſis epiſcopi. Et de ver. apoſt. 27. bis habetur inter Ambroſianos, num. 9. & 29.

Homiliæ 50. in quibus ſunt complures, quæ in alijs volumini-

minibus alios auctores præferunt.

Epiſtolæ circiter 230. quas fere omnes Poſſidius ſingillatim in ſuo recenſet Indiculo. Quem concludens ait: Memoratus S. Auguſtinus epiſcopus ſpiritu diuino actus, in ſancta Eccleſia catholica ad inſtructionem animarum fecit libros, tractatus, epiſtolas numero mille triginta, exceptis ijs qui numerari non poſſunt, quia nec numerum deſignauit ipſorum. Et Sigebertus narrat, Auguſtinum tanta ſcripſiſſe, vt nullus libros eius omni tempore vitæ ſuæ non ſolum ſcribere, ſed nec legere quidē valeat. *Inſignis hyperbole*

OPVSCVLA D. AVGVSTINI TITVLO De quibus non ſit mentio in Indiculo Poſſidij, nec apud alium quempiam antiquum auctorem.

IN Apocalypſim beati Ioannis Homiliæ 28. habentur in bibliotheca Vaticana manuſcriptæ titulo Ticonij.

Meditationum, & Soliloquiorum animæ ad Deum lib. 2.

De diligendo Deo lib. 1.

Manuale de verbo Dei, aliàs de contemplatione Chriſti.

De triplici habitaculo lib. 1.

Scalæ paradiſi lib. 1. Fertur etiam inter ſcripta D. Bernardi.

De duodecim abuſionum gradibus lib. 1.

De contritione cordis lib. 1.

De cognitione veræ vitæ lib. 1.

De ſpeculo lib. 1. Intertexit verſus ex Boetio, qui longe poſterior fuit Auguſtino.

Tractatus, qui Speculum peccatoris inſcribitur.

De vita Chriſtiana ad ſororem ſuam viduam, lib.

De Aſſumptione B. Mariæ, lib. 1.

De contemptu mundi, & vanitate ſæculi lib. 2.

De obedientia & humilitate lib. 1.

De bono diſciplinæ lib. 1.

De viſitatione infirmorum lib. 2.

De conſolatione mortuorum Serm. 2.

Sermo-

Sermones de quarta feria, de tempore barbarico, & de cataclyſmo, qui ſic incipit: Quoniam in proximo eſt.

De ſobrietate & virginitate lib. ſiue ſermo.

De conflictu vitiorum & virtutum lib. 1.

De quatuor virtutibus charitatis, tract.

De laudibus charitatis, tract.

De honeſtate mulierum lib. 1.

De rectitudine catholicæ conuerſationis, tract.

De vrbis excidio, tract.

De creatione hominis, tract.

De arbore ſcientiæ boni & mali, tract.

De pugna animæ, tract.

De Antichriſto, tract.

De vera & falſa pænitentia ad Chriſti deuotam, lib. 1.

De fide ad Petrum diaconum lib. 1. Titulo Fulgentij citatur à Bertramo monacho in libro de corpore & ſanguine Dñi.

De ſpiritu & anima lib. 1. De quo S. Antoninus par. 2. hiſt. tit. 10. ait: Liber titulo de anima & ſpiritu proculdubio eſt vtiliſſimus, elegans, & diſertus: ſed mihi non videtur hunc librum ſtilum Auguſtini ſapere, vnde fertur ab aliquibus potius ab Hugone de ſancto Victore ex diuerſis libris Auguſtini ad compendium extractum.

De diffinitionibus orthodoxæ fidei, ſiue de Eccleſiaſticis dogmatibus. Platina in vita Symmachi papæ librum hunc attribuit Gennadio Maſſilienſi epiſcopo, qui ſcripſit de viris illuſtribus Hieronymum imitatus.

De eſſentia diuinitatis lib. 1. Fertur etiam inter ſcripta Hugonis de S. Victore, titulo de natura Dei ſimplici.

De mirabilibus ſacræ ſcripturæ lib. 3.

De incarnatione verbi. lib. 2.

De trinitate & vnitate Dei. Hic liber mutato titulo & duobus tantum ademptis prioribus capitibus, idem prorſus cum illo eſt, qui contra ſermonem Arianorum inſcribitur, retractaturque ab Auguſtino libro 2. retract. cap. 52.

De amicitia, & de ſubſtantia dilectionis & amoris, lib. 2.

Feruntur

Feruntur etiam inter opera Hugonis S. Victoris.

De ſingularitate clericorum lib. 1. Fertur etiam nomine tum Hieronymi, tum Cypriani.

De ſalutaribus documentis, lib. 1.

Pſalterium, quod (vt fertur) matri ſuæ compoſuit.

Super Magnificat, Canticum Mariæ.

De altercatione eccleſiæ & ſynagogæ dialogus.

De benedictionibus filiorum Iacob commẽtarius collectus ex libro Quæſtionum Hierronymi in Geneſim.

Contra Pelagianos Hypognoſt. lib. 6.

Quæſtionum veteris & noui Teſtamenti, & ex vtraque mixtim liber tribus partibus diſtinctus. Prima pars incipit: Quid ſit Deus. Secunda: Deus certe perfectus eſt. Tertia: Audiſtis quæ. In quæſtione centeſima nona multis argumentis nititur probare Melchiſedec non fuiſſe hominem purum, ſed quandã Dei virtutem, videlicet, Spiritum ſanctum, qui tunc in forma humana apparuerit, quemadmodum poſtea filius Dei in carne apparuit. Hanc ſententiam Auguſtinus in libro de hæreſibus ad Quoduultdeum, ponit in trigeſimo quarto loco, tribuens eam hæreticis, quos Melchiſedecianos appellat. Et in finem operis, ſacerdotum nuptias defendit: reoſque fieri homines aſſerit, non quia nati ſunt, ſed quia male conuerſati.

Sexaginta quinque quæſtionum dialogus, ſub titulo Oroſij percontantis, & Auguſtini reſpondentis.

Ad Demetriadem virginem Epiſtola. Extat quoque inter opera D. Hieronymi. Inſunt in hac epiſtola nonnulla, quæ Pelagianorum dogmata reſipiant. Beda putat eſſe Iuliani hæretici, qui traditur Pelagiani erroris auctor.

Auguſtini ad Cyrillum, & Cyrilli ad Auguſtinum, de laudibus Hieronymi, Epiſtolæ.

Sermones ad fratres in Eremo, quorum plerique ſunt Auguſtini ſententijs hinc inde ſumptis conſarcinati.

Index librorum & tractatuum D. Auguſtini, qui extant, ſingulis & vniuerſis vtriuſque teſtamenti partibus accommodatus.

IN VTRVMQVE TESTAMENTVM.

IN vniuerſam diuinam ſcripturam, De doctrina Chriſtiana libri quatuor: in quibus ad inſtructionem eiuſqui futurus ſit ſcripturæ ſanctæ expoſitor, tradit præcepta legendi, intelligēdi, interpretandique ſacras litteras, oſtendens quarum linguarum, artiumque præſidio, & quorum auctorum lectione, quibusue regulis opus habeat qui ſcripturarum ſenſa inquirit: & quos enarrandi, exponendique modos habere oporteat ſacrorum voluminum explanatorem. In vtrumque teſtamentum, diſputationum libri triginta ſex aduerſus hæreticos vetus teſtamentum blaſphemantes, & nouum falſationis criminantes. De quibus vnus contra Adimantum Manichæi diſcipulum: triginta tres contra Fauſtum Manichæorum epiſcopum: & reliqui duo contra innominatū quendam Manichæum, quibus titulus eſt: Contra aduerſarium legis & prophetarum. In vtrumque etiam teſtamentum extant Quæſtionū libri tres, quorū initium eſt: Aduerſus eos qui negant. Quibus ſuperaddi poteſt Opus octoginta trium quæſtionum inſcriptum: & quod, Speculum ſcripturarum titulatur.

IN VETVS TESTAMENTVM.

IN Eptateuchū Adnotationum libri ſeptem: qui ideo Locutionum titulo prænotātur, quia in his locutiones, idiotiſmi, & phraſes ſcripturæ, quæ paſſim occurrunt in ſeptem primis antiqui teſtamenti libris, adnotantur. Item quæſtionum ſuper eadem uolumina libri alij ſeptem, quorum initium eſt: Cum ſcripturas ſanctas.

IN GENESIM.

IN Tria Geneſeos capita, id eſt, ab initio libri vſq; ad eiectionem primorum parentum de paradiſo, continuatæ expoſitionis lib. 15. videlicet, De Geneſi iuxta allegoriam aduerſus Manichæos lib. 2. De Geneſi ad litteram imperfecte liber vnus. De Geneſi ad litteram libri duodecim. In primum etiam Geneſeos caput extant libri tres, libris confeſſionum inſerti, ſuntq; inter eos vndecimus, duodecimus, & tertiusdecimus. Quæſtionum de Geneſi, item Locutionum liber primus.

In Gen. 1. Sermo vnus, qui eſt inter ſermones de tẽpore 133.

In Gen. 6. De cataclyſmo, & arca Noe, ſermo vnus, qui eſt de tempore 69.

In Gen. 12. De Abraham, ſermo vnus, qui eſt de temp. 51.

In Gen. 15. De vacca trienne, ſermo de temp. 54.

In Gen. 18. De tribus viris Abrahæ viſis, ſermo de temp. 70.

In Gen. 22. De tentatione Abrahæ, ſermo de tempore 72.

In Gen. 22. De immolatione Iſaac, ſermones duo, qui ſunt de tempore 71. & 73.

In Gen. 25. De conceptu Rebeccæ, ſermo de tempore 68.

In Gen. 28. De ſcala Iacob, ſermo de tempore 79.

In Gen. 37. De ſomnio Ioſeph, ſermo de tempore 81.

In Gen. 39. De Ioſeph & eius domina, ſermo de tẽpore 83.

In Gen. 42. De Iacob, quem latuit Ioſephum in Aegypto eſſe, ſermo de tempore 82.

IN EXODVM.

QVæſtionum & Locutionum liber ſecundus.

In Exod. 1. De morte Ioſeph & multiplicatione filiorum Iſrael, ſermo vnus, qui eſt de tempore 84.

In Exod. 1. De paleis Aegyptiorum, ſermo de tempore 85.

In Exod. 2. De natiuitate Moſis, ſermo de tempore 86.

In Exod. 3. De apparitione Domini in rubro, ſermo vnus,

qui eſt ex additis ad decimum tomum 18.
In Exod. 4. De induratione Pharaonis, ſermo de tēpore 88.
In Exod. 7. De decem plagis Aegypti, ſermo de tēpore 87.
In Exod. 14. De Pharaone, ſermo de tempore 89.
In Exod. 15. De itinere triū dierum, ſermo de tempore 90.
In Exod. 15. De aqua amara & manna, ſermo de tēpore 91.
In Exod. 17. De Raphidin, & de petra percuſſa, & Amalech, ſermo de tempore 93.
In Exod. 31. De filijs Iſrael, ſermo de tempore 97.

IN LEVITICVM.

QVæſtionum & Locutionum liber tertius.

IN NVMEROS.

QVæſtionum & Locutionum liber quartus.
In Num. 13. De exploratoribus & botro, ſermo de tempore 100.
In Num. 14. De populo mortuo in deſerto, ſermo de tempore 102.
In Num. 16. De turibulis, ſermo de tempore 98.
In Num. 17. De virga Aaron, ſermo de tempore 99.
In Num. 21. De ſerpente aeneo, ſermo de tempore 101.
In Num. 22. De Balaam, ſermo de tempore 103.

IN DEVTERONOMIVM.

QVæſtionum & Locutionum liber quintus.

IN IOSVE.

QVæſtionum & Locutionum liber ſextus.
In Ioſ. 1. Quòd iuſto Dei iudicio filij Iſrael terram repromiſſionis acceperint, ſermo de tempore 105.

In

In Ioſ. 6. De Raab, & ſubuerſione Hiericho, ſermo de tempore 106.

IN LIBRVM IVDICVM.

QVæſtionum & Locutionum liber ſeptimus.

In Iud. 6. De Gedeone, ſermo de tempo. 108.

In Iud. 14. De Sampſone, ſermo de tempore 107.

IN LIBRIS REGVM.

IN libro ciuitatis Dei ſeptimodecimo cap. 4. dum inter alia de Regum temporibus eloquitur, Canticum Annæ dilucidauit ex ordine.

Scripſit librum ad Simplicianum Mediolanenſem epiſcopũ, de ſolutione quinque quæſtionum ex libris Regum, videlicet.

In 1. Reg. 10. De ſpiritu Domini inſiliente in Saul.

In 1. Reg. 15. De pænitentia Dei, quòd Saluem conſtituerit Regem.

In 1. Reg. 28. De Samuele per Pythoniſſam ab inferis reuocato.

In 2. Reg. 7. De Dauide intrante & ſedente ante Dominum.

In 3. Reg. 17. De Helia expoſtulante cum Deo, quòd filiũ viduæ occiderit.

In 3. Reg. 22. De ſpiritu mendacij, per quem deceptus eſt Achab Rex.

Scripſit item in varios locos Regũ ſermones decem, hoc eſt.

In 1. Reg. 17. De Dauid & Goliath, ſermo de tempore 196.

In idem, De Dauidis monomachia, ſermo qui eſt in libro 50. homiliarum, primus.

In 3. Reg. 3. De Salamonis erga duas meretrices iudicio, ſermo de tempore 200.

In 3. Reg. 17. De Helia & vidua Saraptena, ſermo de tempore 201.

In 4. Reg. 2. De Heliſeo à pueris illuſo, ſermones duo, qui

ſunt de tempore 204. & 206.

In 4. Reg. 5. De Naaman Syro, ſermo de tempore 207.

In 4. Reg. 6. De Heliſeo & ſecuri in gurgite lapſa, ſermo de tempore 210.

In idem, De fame Samariæ, ſermo de tempore 211.

IN TOBIAM.

IN Tobiam ſermo unus de tempore 226.

In Tobiæ 4. ſuper id, Eleemoſyna à morte liberat, Homil. 47.

IN IVDITH.

IN Iudith ſermones 2. qui ſunt de tempore 228. 229.

IN IOB.

Liber, cuius eſt titulus, Adnotationes in Iob.

IN PSALTERIVM.

IN Pſalterium continuæ & integræ expoſitionis Tractatus ſiue Enarrationes 205. quas partim presbyter, partim epiſcopus vſque ad exitum vitæ pro concione enarrauit.

Extant præter hos tractatus, etiam alij ſermones, in varios Pſalmorum verſiculos, nempe

In pſ. 9. ſuper id, Tibi derelictus eſt pauper, ſermo de tempore 110.

In pſ. 16. ſuper id, Suſtine dominum, viriliter age, ſermo inter 50. homil. vndecimus.

In totum pſal. 21. ad Honoratum epiſtola, quæ eſt nu. 120.

In pſ. 33. ſuper id, Quis eſt homo qui vult vitam, ſermo qui eſt de 50. homil. primus.

In pſ. 40. De principio euiſdem pſalmi, ſermo qui eſt inter 50. homil. 39.

In

In pſ. 45. ſuper id, Vacate & videte quia ego ſum Deus, ſermo de tempore 251.

In pſ. 49. ſuper id, Deus manifeſte veniet, ſermones duo, vnus de tempore 220. alter 20. in lib. 50. homil.

In eundem pſ. ſuper id, Sedens aduerſus fratrē, ſermo qui eſt inter 50. homil. ſecundus.

In pſ. 67. ſuper id, Sicut deficit fumus, ſermo de temp. 109.

In pſ. 83. ſuper id, Cor meum & caro mea, ſermo inter 50. homil. 33.

In pſ. 94. ſuper id, Venite adoremus, ſermo qui eſt de verbis Apoſt. vndecimus.

In pſ. 97. ſuper id, Cantate & pſallite in cithara, ſermo de tempore 222.

In pſ. 117. De primo pſalmi verſiculo, ſermo inter 50. homil. 36.

In eundem pſ. ſuper, Hæc eſt dies quam fecit Dominus, ſermo de tempore 136.

In pſ. 118. ſuper id, Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam, ſermo inter 50. homil. quartus.

In eundem pſ. ſuper id, Greſſus meos dirige, ſermo de verbis Apoſtoli 12.

IN LIBRO PROVERBIORVM.

IN Prouerb. 13. ſuper id, Sunt qui ſe diuites putant. ſermo de tempore 212.

In Prouerb. 31. De muliere forti, ſerm. 2. de tēp. 217. 218.

IN LIB. SAPIENTIAE.

IN Sap. 7. Splendor eſt huius æternæ, ſermo de temp. 190.

IN ECCLESIASTICVM.

IN Eccleſi. 5. de eo quod ſcriptum eſt, Ne tardes conuerti

ad De-

ad Deum. Homil. 13.

In Eccleſi. 31. de eo quod ſcriptum eſt, Beatus vir qui poſt aurum non abijt. Homil. 9.

IN ESAIAM.

IN Eſaiam 11. ſuper id, Requieſcet ſuper eũ ſpiritus Domini, ſermo de ſanctis 7.

In Eſa. 53. ſuper id, Aſcendet ſicut virgultum coram eo, ſer. inter 50. homil. 36.

In Eſa. 58. ſuper id, Clama ne ceſſes, ſermo inter 50. homil. 7.

In Eſa. 58. ſuper id, Frange exurienti panem, ſermo inter 50. homil. 17.

IN EZECHIELEM.

IN Ezech. 34. libri duo, alter De paſtoribus, in quo prior pars huius capitis exponitur: alter De ouibus, in quo pars poſterior explicatur.

IN DANIELEM.

IN Dan. 3. De tribus pueris, ſermo de tempore 240.
In Dan. 13. De Suſanna, ſerm. 2. qui ſunt de temp. 118. 242.
Hiſtoriam Suſannæ exponit tract. 36. in Euangeliũ Ioannis.

IN EAGGAEVM.

IN Aggæi 2. de eo quod ſcriptum eſt: Meum eſt aurum, & meum eſt argentum. Homil. 30.

IN NOVVM TESTAMENTVM.

IN quatuor Euangelia: De concordia Euangeliſtarum libri quatuor.

Quæ-

Quæſtionum Euangelicarum libri duo.

IN MATTHAEVM.

IN Matthæum extat liber, De ſermone Domini in monte, ſuper quinto, ſexto, & ſeptimo capitulis.

Liber quæſtionum Euangelicarum ſecundum Matthæum, quas Poſſidius, Adnotationes in Matthæum nominat.

In Matthæum, de aduentu Magorum, & De cæde infantium, ſermones de ſanctis *9.* 10.

In Matth.3. ſuper, Ego debeo à te baptizari, ſermo de verb. domini *63.*

In Matth.4. ſuper, Pænitentiam agite, ſermo de verbis domini primus.

In Matth. 5. De beatitudine pauperum, ſermo vnus, qui eſt ex additis ad 10. tomum, decimusquartus.

In idem ſuper, Audiſtis quia dictum eſt antiquis, ſermo de tempore 59.

In idem ſuper id, Diligite inimicos veſtros, ſermo de tempore 170.

In idem ſuper id, Luceat lux veſtra, ſermo de verb. domini 2.

In idem ſuper id, Qui dixerit fratri Racha, ſermo de verb. domini 4.

In Matth. 6. ſuper, Neſciat ſiniſtra tua, ſermo de temp. 10.

In idem, De oratione Dominica, ſermones tres, qui ſunt de tempore 126. 182. & inter 50. homil. 42.

In Matth. 7. ſuper illud, Qui fecerit & docuerit, ſermo de verbis domini 3.

In idem ſuper, Petite & accipietis, ſermo de verb. domini 5.

In idem ſuper, Nolite iudicare, & non iudicabimini, ſermo de tempore 202.

In idem, De parabola zizaniorum, ſermo de ſanctis *39.*

In Matth. 8. De puero Cẽturionis, ſermo de verb. domini *6.*

In idem ſuper, Domine ſequar te quocunque ieris, ſermo de verb. domini 7.

In

In Matth.11. ſuper, Confiteor tibi pater, ſermo de verb. domini 8.

In idem ſuper, Venite ad me omnes, ſermo de verbis dñi 9.

In idem ſuper, Inter natos mulierum, ſermo de 50.hom.44.

In Matth.12. De verbo in ſpiritum ſanctum, ſermo de verb. dom.11.

In idem ſuper, Aut facite arborem bonam, ſermo de verb. dom.12.

In Matth.14. De Petro ambulante ſuper aquis, ſerm.2. qui ſunt de verb.dom.13.14.

In Matth.15. De Cananæa, ſermo de temp.74.

In Matth.17. De Dæmoniaco, ſermo de temp.230.

In Matth.18. De correptione fraterna, ſermones, duo, qui ſunt de verb.dom.15.16.

In Matth.19. ſuper, Si vis ad vitam ingredi, ſermones duo, de tempore 205.de verb.dom.17.

In idem ſuper, Si vis perfectus eſſe, ſermo de temp.233.

In Matth.20. De duobus cæcis, ſermones duo, de temp.52. de verb.dom.18.

In Math.22. De tributo Cæſaris, ſermo de verb. dom.19.

In idem ſuper, Diliges proximum, ſermo de 50.homil.38.

In idem ſuper id, Cuius filium dicũt eſſe Chriſtum, ſermones duo, de tempore 234.235.

In Matth. 24. ſuper, Væ prægnantibus, ſermo de verb. dom.30.

In idem ſuper, De die illa nemo ſcit, ſermo de ver.dom.21.

In Matth.25. De decem virginibus, ſermones duo, de verb. dom.22.23. & in libro 83.quæſtionum quæſt.59.

In idem ſuper, Venite benedicti patris mei, ſermo de ſanctis 38.

IN MARCVM.

IN Marc.8. De turba famelica ſequente Chriſtum, ſermo de temp.209.

In Marc.16. De duobus diſcipulis, quibus Chriſtus in alia

effigie

effigie apparuit. ſermo de tempore 146.

In idem, De vndecim diſcipulis recumbentibus, ſermo ex additis ad decimum tom. 5.

IN LVCAM.

IN Luc. 1. ſuper, Miſſus eſt Gabriel, ſermo de Sanctis 18.

In Luc. 2. ſuper, Fili quid feciſti nobis ſic? ſermo ex additis ad decimum tom. 2.

In Luc. 6. ſuper, Remittite & remittetur, ſermo ex 50. ho. 29.

In Luc. 7. De muliere peccatrice, ſermo ex 50. hom. 23.

In Luc. 10. ſuper, Qui vos ſpernit, me ſpernit, ſermo de verb. dom. 24.

In idem, De Maria & Martha, ſerm. 2. de verb. dom. 26. 27.

In idem, De eo qui incidit in latrones, ſerm. de verb. dñi 37.

In Luc. 11. ſuper, Domine doce nos orare, ſermo de verb. domini 28. qui integre deſcriptus eſt ex cap. 4. lib. 5. De ſacramentis D. Ambroſii.

In Luc. 11. ſuper, Qui (ex) vobis habet amicum, ſermo de verb. domini 29.

In idem, De Phariſæis extrinſecus paropſidem lauantibus, ſermo de verb. dom. 30.

In idem, De diuite agrum vberem habente, ſermo ex 50. homil. 58.

In Luc. 13. De ficulnea, ſermo de verb. dom. 31.

In idem, Si pauci ſunt qui ſaluantur, ſerm. de verb. dom. 32.

In idem, De grano ſinapis, ſermo de ſanctis 34.

In Luc. 14. De cœna magna, ſermo de verb. dom. 33.

In Luc. 15. De filio prodigo, ſermo de verb. dom. 34.

In Luc. 16. De mãmona iniquitatis, ſermo de verb. dom. 35.

In idem, De diuite & Lazaro, ſermo de verb. dom. 25.

In Luc. 17. De iudice iniquo, ſermo de verb. dom. 36.

In Luc. 21. ſuper, Capillus de capite veſtro, ſermo ex 50. homil. 14.

In Luc. 23. De cruce & latrone, ſermo de tempore 130.

In Luc. 24. De diſcipulis euntibus in Emaus, ſermo de tempore 140.

In idem, De Ieſu ſtante in medio diſcipulorum, ſermo ex additis ad decimum tom.4.

IN IOANNEM.

IN Ioannis Euangelium tractatus 124. continuatæ expoſitionis, ab initio euangelij vſque ad finem.

In Ioan. 1. ſuper, In principio erat verbum, ſermo. 2. qui ſunt de temp. 134. & de verb.dom.38.

In idem, ſuper, In mundo erat, ſermo de verb.dom.39.

In idem, ſuper, Cũ eſſes ad ficum, ſermo de verb. dom.40.

In Ioan. 2. De aqua in vinum conuerſa, ſermones duo, qui ſunt de verb.dom.41.& de temp.41.

In Ioan. 5. De languido, ſermo de verb.dom.42.

In idem, ſuper, Si ego teſtimonium perhibeo de me, ſermo de verb. dom. 48.

In idem, ſuper, Sicut pater ſuſcitat mortuos, ſerm.2. de verb. dom.44. & de 50. homil.22.

In idẽ, ſuper, Scrutamini ſcripturas, ſermo de verb. dom.45.

In idem, ſuper, Non poteſt filius hominis à ſe facere quicquam, ſermo de 50.homil.52.

In idem, ſuper, Venit hora & nunc eſt, quando mortui audient, ſermo de verb.dom.64.

In idem, ſuper, Qui manducat meam carnem, ſermo de ver. domini 46.

In Ioan.8. De adultera, ſermo de verb.dom.47.

In idem, ſuper, Si manſeritis in ſermone meo, ſermo de verb. dom. 48.

In Ioan.9. De cæco nato, ſermo de 50.hom.43.

In Ioan. 10. De paſtore & mercenario, & fure, ſermo de verb. dom. 49.

In idem, De bono paſtore, ſermo de verb.dom.50.

In idẽ, ſuper, Ego & pater vnũ ſumus, ſermo de verb.dñi 51.

In Ioan. 11. De Lazaro, ſermones duo, de verb. dom. 52. & de temp. 104.

In idem, ſuper, Qui credit in me, credit in eum qui me miſit: ſermo de verb. dom. 53.

In Ioan. 12. ſuper, Qui amat animam ſuam, ſermo de 50. homil. 37.

In Ioan. 14. ſuper, Ego ſum via, ſermones tres. de verb. dñi 54. 55. & de 50. homil. 34.

In idem, ſuper, Quæ ego loquor, à me ipſo non loquor. ſermo de verb. dom. 56.

In idem, ſuper, Pacem meam do vobis, ſermones tres, de verb. dom. 57. de temp. 167. & de additis ad decim. tom. vlt.

In idem, ſuper, Non turbetur cor veſtrum, ſermo de verbis domini 58.

In Ioan. 15. ſuper id, Surgit à cœna, ſermo de temp. 127.

In idem, ſuper, Ego ſum vitis, ſermo de verb. dom. 59.

In Ioan. 16. ſuper, Expedit vobis vt ego vadam, ſermo de verb. dom. 60.

In idem, ſuper, Arguet mundum de peccato, de iuſtitia, & de iudicio, ſermo de verb. dom. 61.

In Ioan. 19. De Ioſeph roganti Pilatũ, ſermo de temp. 132.

In idem, De ſepulchro Domini, ſermo de tempore 133.

In Ioan. 20. De Magdalena flente ad monumentum, ſermo de tempore 152.

In Ioan. 21. De manifeſtatione Chriſti ad mare Tiberiadis, ſermo de temp. 148.

In idem, vbi Dominus oues ſuas Petro commendat, ſiue ſuper, Petre amas me, ſermo de verbis dom. 62.

In idem, ſuper, Diligis me plus his? ſermo de ſanctis 24.

IN ACTVS APOSTOLORVM.

DE lectione Actuum Apoſtolorum, vbi Epicurei & Stoici philoſophi cum apoſtolo Paulo contulerunt de teſtimoniis ſcripturarum, extat in tom. 6. ſub finem.

In Act.3. De aſcenſu Petri & Ioannis in templum, ſermo de verb. apoſt. 29.

In Act.4. ſuper, Nemo quicquam poſſidebat proprium, ſermo de verb. apoſt. 27.

In Act.9. De conuerſione Pauli, ſermo de ſanctis 14.

In Act.10. De exceſſu mentis in Petro, ſermo de ſanctis 45.

IN EPIST. AD ROMANOS.

IN Epiſt. ad Rom. lib.2. vnus interpolatæ expoſitionis in varios ſparſim eius epiſtolæ locos, alter continuæ expoſitionis aggreſſus, ſub titulo inchoatæ expoſitionis. tom.4. ſub finem.

Ad Simplicianum ex eadem quæſtiones aliquot.

In 7. ad Rom. ſuper id, Cum eſſemus in carne, ſermo de verb. apoſt. 4.

In idem, ſuper, Lex peccatum operatur, ſermo de verbis apoſtol. 5.

In idem, ſuper, Igitur ipſe ego ſeruio, ſerm. de verb. apoſt. 6.

In idem, ſuper, Non quod volo bonum, ſermo 2. de tempore 43. 45.

In idem, ſuper, Condelector legi Dei, ſermo de temp. 47.

In. 8. ad Rom. ſuper, Si Deus pro nobis, quis contra nos? ſermo de verb. apoſt. 16.

In idem, ſuper, Humanum dico propter infirmitatem, ſermo de verb. apoſt. 17.

In idẽ, ſuper, Spe ſalui facti ſumus, ſermo de verb. apoſt. 25.

In 9. ad Rom. ſuper, Miſerebor cui voluero, ſermo de uerb. apoſtol. 22.

In idem, ſuper, Cuius vult miſeretur. De prædeſtinatione & gratia lib.1. tom.7.

In idem, ſuper, Nam & Rebecca, vſque ad illud, Niſi dominus ſabbaoth. Quæſt.1. de cauſa electionis & reprobationis ad Simplicianum.

IN EPIST. AD CORINTHIOS.

IN 1.Corint.6. ſuper : Neſcitis quia corpora veſtra, ſermo de verb.apoſt.18.

In 1.Corint.7. ſuper illud : His qui ſunt in coniugio, præcipio non ego, ſed dominus. lib.2. ad Pollentium, de incompetentibus nuptijs, ſiue de adulterinis coniugijs.tom.6.ſub finem.

In 1.Corint.9. ſuper : Non ſic pugno quaſi aerem verberans. ſermo de verb.apoſt.21.

In 1.Corint.12. Quomodo nos exemplo membrorum diligere debeamus.ſermo de 50.homil.15.

In 2.Corint.3. ſuper : Litera occidit, ſpiritus viuificat. De ſpiritu & litera ad Marcellinum lib.1.tom.3.

In 2.Corint.5. ſuper : Oportet omnes manifeſtari ante tribunal Dei, ſerm.2.qui ſunt de verb.apoſt.19. 20.

In idem ſuper : Legatione fungimur pro Chriſto, ſermo de 50.homil.49.

IN EPISTOLAM AD GALATAS.

IN Epiſt. ad Galatas continuæ & ſuccintæ expoſitionis lib.1.

In 2.ad Gal. De Petro & Paulo reprehenſo. Epiſtola ſecunda ad Hieronymum.

In 3.ad Gal.ſuper : Si data eſt lex quæ poſſit iuſtificare, ſermo de verb.apoſt.13.

In 5.ad Gal.ſuper : Spiritu ambulate, ſermo de ver.apoſt.3.

In 6.ad Gal. ſuper : Alter alterius onera portate, ſerm.2. de verb.apoſt.22. 24.

In idem ſuper : Mihi abſit gloriari, niſi in cruce, ſermo qui eſt ex additis ad 10.tom.15.

IN EPIST. AD EPHESIOS.

IN 3.ad Epheſ.ſuper : Vt poſſitis comprehendere, quæ ſit latitudo.ſermo de 50.homil.3.

In

In idem ſuper: Petro non infirmari,ſermo de verb.apoſt.7.

In 4. ad Epheſios ſuper: Deponentes malitiam,ſermo de tempore 221.

In 5. ad Epheſ. ſuper: Videte quomodo caute ambuletis, ſermo de verb.apoſt.26.

In 6.ad Epheſ.ſuper: Pax fratribus & charitas.ſermo de 50. homil.17.

AD PHILIPPENSES.

IN 3. ad Philip. ſuper: Non ſumus circuncifi, ſermo de verb. apoſt.5.

In idem ſuper: Secundum iuſtitiam quæ ex lege eſt. ſermo de tempore 221.

AD THESSALONICENSES.

IN 1. ad Theſſ.3.ſuper: Qui non vult operari non manducet. De opere monachorum ad Aurelium Carthaginienſem epiſcopum lib.1 in quo diſſeritur, An monachi negligentes Pauli præceptum, ad laborem cogendi ſint.

In 1. ad Theſſ.4. ſuper, Nolo vos contriſtari de dormientibus, ſermo de verb. dom. 34.

AD TIMOTHEVM.

IN 1. ad Tim. 1. ſuper,Fidelis ſermo & omni acceptione dignus,ſerm.3.qui ſunt de verb. apoſt.8.9.10.

In 1. ad Tim.6. Quòd radix omnium malorum ſit cupiditas, ſermo de 50.homil.8.

In 2.ad Tim.4.ſuper, Prædica verbum,inſta opportune,ſermo de 50. homil. 5.

IN EPIST. BEATI IACOBI.

IN Iacobi 2. ſuper, Qui offenderit in vno, ad Hieronymum epiſt. 1. quæ eſt inter epiſt. eius 29.

In Iac. 5. ſuper, Nolite iurare, ſermo de verbis apoſt. 30.

In idem, ſuper, Confitemini alterutrũ, ſermo de 50. hom. 12.

IN EPIST. BEATI PETRI.

IN 1. Petri 2. ſuper, Depoſita omni malitia, ſermo de 50. homil. 20.

In 1. Petri 3. De Chriſto prædicante ſpiritibus qui erant in carcere, ad Euodium epiſt. 1. quæ eſt 99.

In 2. Petri 1. De voce allata de cælo, ſermo de ver. apoſt. 29.

IN EPIST. BEATI IOANNIS.

IN epiſt. 1. Ioannis, à principio videlicet vſque ad dimidium vltimi capitis, tractatus decem.

In 1. Ioan. 1. ſuper, Si dixerimus quia peccatum non habemus, ſermo de verb. apoſt. 31.

In 1. Ioannis 4. De non credendo omni ſpiritui, ſermo de verb. apoſt. 32.

IN APOCALYPSIM.

MVlta Apocalypſis explicat à cap. 7. vſque ad 17. lib. 20. de ciuitate Dei.

Auctores, qui libros ſiue commentaria ex D. Auguſtini operibus collegerunt.

DIVVS Proſper Aquitanicus Regienſis epiſcopus, ex ſacris beati Auguſtini dictis duos cõtexuit libros, vnum Epigram-

grammaton elegiaco verſu, quem per capita 95. diſtinxit: alterum ad longe maiorem numerum ſoluta oratione, quod Opus ſententiarum Auguſtini inſcripſit, & pro libro ſententiarum Proſperi in Decretis canonicis perſæpe citatur.

Petrus abbas Tripolitanæ prouinciæ, ſancti Pauli epiſtolas exemplis opuſculorum baeti Auguſtini ſubnotaſſe narratur, vt per os alienum ſui cordis declararet arcanum: quæ ita locis ſingulis competenter aptauit, vt hoc magis ſtudio beati Auguſtini credas eſſe perfectum. Caſſiodorus de diu. lect. cap. 8.

Eugepius presbyter ad Probam virginem ſacram, ex operibus ſancti Auguſtini, quæſtiones & ſententias, diuerſaſque res deflorans, in vno corpore neceſſaria nimis diſpenſatione collegit, & in trecentis triginta octo capitulis collocauit. Caſſiod. de diu. lect. cap. 22. Hodie circunfertur impreſſus huiuſcemodi titulo. D. Eugyppij abbatis Africani Theſaurorum tomi duo ex D. Auguſtini operibus, ad Probam virginem.

Beda presbyter, ex omnibus D. Auguſtini operibus, in Epiſtolas omnes D. Pauli commentaria legit, quæ Collectanea Bedæ in omnes D. Pauli epiſtolas nuncupantur.

Honorius Auguſtodunenſis eccleſiæ presbyter & ſcholeſticus, ſcripſit ex opuſculis D. Auguſtini librum vnũ dialogorum.

Bartholomæus monachus Auguſtinianus & epiſcopus Vrbinas, D. Auguſtini ſingula dicta magna plane diligẽtia in alphabetum redegit, & opus in vnum collectum nominauit, Milleloquium Auguſtini. In quo mille titulis reduxit, quicquid omnibus ſuis in libris dixit Auguſtinus.

Antonius de Nomis Marciallenſis monachus Auguſtinianus, ex libris beati Auguſtini quædam capita, omnem fere literarum diuinarum tractationem cõcernentia, decerpſit, librumque confecit, cui nomen eſt: Flores doctoris ſancti patris Auguſtini.

Ludouicus Bloſius Benedictinus, ex tractatibus D. Auguſtini collegit librum titulo Pſychagogia, hoc eſt, animæ recreatio, tribus libris diſtincta.

Hieronymus Torrenſis Societatis Ieſu, ex omnibus D. Auguſtini

guſtini ſcriptis in ordinem redegit locos, quoad controuerſias hoc tempore inter catholicos & ſectarios exortas maxime pertinentes; quos primum in certa quædam capita, deinde vero, prout eiuſdem controuerſiæ plures vel pauciores ſunt partes, in articulos diſtinxit.

Elogia veterum & recentium ſcriptorum in D. Auguſtinum.

S. HIERONYMVS.

DOmino ſancto ac beatiſs. papæ Auguſtino. Omni quidem tempore beatitudinem tuam eo quo decet honore veneratus ſum, & habitantem in te dilexi dominum Saluatorem: & nunc (ſi fieri poteſt) cumulo aliquid addimus, & plene complemus, vt abſque tui nominis mentione, ne vnam quidem horam præterire patiamur, qui contra flantes ventos ardore fidei perſtitiſti. Maluiſti, quantum in te fuit, ſolus liberari de Sodomis, quàm cum pereuntibus commorari. Scit quid dicam prudentia tua. Macte virtute, in orbe celebraris: catholici te conditorem antiquæ rurſum fidei venerantur atque ſuſpiciunt, & (quod ſignum maioris gloriæ eſt) omnes hæretici deteſtantur, & me pari perſequuntur odio, vt quos gladijs nequeunt, voto interficiant.

Scripſit dudum vir ſanctus & eloquens Auguſtinus * * * *. Vnde ſuperſedendũ huic labori cẽſeo, ne dicatur mihi illud Horatij, In ſyluam ne ligna feras. Aut enim eadem diceremus ex ſuperfluo, aut ſi noua voluerimus dicere, à clariſſimo ingenio occupata ſunt meliora. In finem lib. 3. aduerſus Pelagianos.

Certe habes ibi virum ſanctum & eruditum Auguſtinum epiſcopum, qui viua (vt aiunt) voce docere te poterit: & ſuam immo per ſe noſtram explicare ſententiam. Ex epiſtola ad Marcellinum.

Certe quicquid dici potuit, & ſublimi ingenio de ſcripturarum ſanctarum hauriri fontibus, à te poſitum atque diſſertum

eſt. * *. Mihi autem decretum eſt te amare, te ſuſpicere, colere, mirari, tuaque dicta quaſi mea defendere. Certe & in dialogo quem nuper edidi, tuæ beatitudinis vt dignum fuerat recordatus ſum. Ex epiſt. ad Auguſtinum cuius initium, Virum honorabilem.

POSSIDIVS EPISCOPVS CALAMENSIS.

TAnta autem ab eodem dictata & edita ſunt, tantaq. in eccleſia diſputata, excepta atque emendata, vel aduerſus diuerſos hæreticos conſcripta, vel ex canonicis libris expoſita ad ædificationem ſanctorum eccleſiæ filiorum, vt ea vix quiſquam ſtudioſorum noſſe & perlegere ſufficiat. In vita D. Auguſtini.

S. PAVLINVS NOLANVS EPISC.

O Vere ſal terræ, quo præcordia noſtra ne poſſint ſæculi vaneſcere errore, condiuntur. O lucerna digne ſupra candelabrum eccleſiæ poſita, quæ late catholicis vrbibus de ſeptiformi lino paſtum oleo lætitiæ lumen effundens, denſas hæreticorum caligines diſcutis, & lucem veritatis à confuſione tenebrarum ſplendore clarifici ſermonis enubilas. Os enim tuum fiſtulam aquæ viuæ & venã fontis æterni merito dixerim, quia fons vitæ aquæ ſalientis in vitam æternam, Chriſtus effectus eſt. Ex epiſt. ad Auguſt. Charitas Chriſti.

S. PAPA CAELESTINVS.

AVguſtinum ſanctæ recordationis virum, pro vita ſua atq; meritis, in noſtra ſemper communione habuimus: nec vmquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, vt inter magiſtros optimos, etiam à meis ſemper prædeceſſoribus haberetur. In epiſt. 1. ad epiſcopos Galliæ. Quod & Proſper in libro contra Collatorem adducit.

HILARIVS EPISC. ARELATEN.

DOctor eccellentiſs. Auguſtinus, defenſor fidei noſtræ, in diuina meditatione ſemper aſſiduus, metu mortis intrepidus, deſtruxit ſacrilegos, atque ſuperauit hæreticos. In epiſt. ad Amatum diaconum.

B. VICTOR VTICEN. EPISCOPVS.

QVa tempeſtate Hipponeregiorum obſeſſa eſt ciuitas, quã omni laude dignus Beatus Auguſtinus librorum multorum confector, Pontifex gubernabat. Tunc illud eloquentiæ, quod vbertim per omnes campos Eccleſiæ decurrebat, ipſo metu ſiccatum eſt flumen, atque dulcedo ſuauitatis dulcius propinata, in amaritudinem abſinthij verſa eſt. Lib. 1. perſec. Vuand.

D. PROSPER AQVITANICVS.

SAnctus Auguſtinus epiſcopus, acer ingenio, ſuauis eloquio, ſæcularis litteraturæ peritus, in eccleſiaſticis laboribus operoſus, in quotidianis diſputationibus clarus, in omni ſua actione compoſitus, in expoſitione ſua fidei noſtræ catholicus, in quæſtionibus abſoluendis acutus, in reuincendis hæreticis circumſpectus, & in explicandis ſcripturis canonicis cautus. Lib. 3. cap. 31. de vita contempl.

M. AVRELIVS CASSIODORVS.

IPſe etiam doctor eximius beatiſſimus Auguſtinus, debellator hæreticorum, defenſor fidelium, & famoſorum, palma certaminum, in quibuſdam libris nimia difficultate reconditur, in quibuſdam ſic eſt planiſſimus, vt etiam paruulis probetur acceptus: cuius aperta ſuauia ſunt, obſcura vero magnis vtilita-

tibus farcita pingueſcunt. Huius autem ingenij viuacitatem ſi quis noſſe deſiderat, libros ipſius Confeſſionum legat, vbi ſe refert omnes Mathematicas diſciplinas ſine magiſtro comprehendiſſe, quas alijs ſub doctis expoſitoribus vix datur attingere. De diu. lect. cap. 22.

Eſt enim litterarum omnium egregius magiſter, & (quod in vbertate rarum eſt) cautiſſimus diſputator. Decurrit quippe tãquam fons puriſſimus, nulla fece pollutus: ſed in integritate fidei perſeuerans: neſcit hæreticis locum dare, vnde ſeſe poſſint aliqua colluctatione defendere. Totus catholicus, totus orthodoxus inuenitur, & in Eccleſia Domini ſuauiſſimo nitore reſplẽdens, ſuperni luminis claritate radiat. In prologo ſuper Pſalt.

IOANNES EPISC. ROMANVS.

AVguſtini doctrinam ſecundum præceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur & ſeruat eccleſia. Lib. de duab. naturis in Chriſto aduerſus Eutychianiſtas.

QVINTVM GENERALE CONCILIVM.

SEquimur per omnia S. Auguſtinum, & ſuſcepimus omnia, quæ de recta fide, & condemnatione hæreticorum expoſuerit.

S. GREGORIVS PAPA.

SI delicioſo cupitis pabulo ſaginari, beati Auguſtini opuſcula legite, & ad comparationem ſiliginis illius, noſtrum furfurem non quæratis. Ex reg. lib. 7. epiſt. 37.

ISIDORVS HISPALEN. EPISC.

DE noſtris apud Græcos Origenes, in ſcripturarum labore tam Græcos quàm Latinos, operum ſuorum numero ſuperauit.

perauit. Denique Hieronymus ſex millia librorum eius ſe legiſſe fatetur. Horum tamen omnium ſtudia Auguſtinus ingenio & ſcientia ſua vicit. Nam tanta ſcripſit, vt diebus ac noctibus non ſolum non ſcribere quiſquam libros eius, ſed nec legere quidem poſſit. In lib. 6. Etym. cap. 8.

OCTAVA TOLETANA SYNODVS.

AVguſtinus vir ſanctiſſimus veſtigationis acumine cautus, inueniendi arte præcipuus, aſſerendi copia profluus, eloquentiæ flore venuſtus, ſapientiæ fructu fœcundus. in cap. 2.

VENERABILIS BEDA.

BEatus Auguſtinus Hipponenſis epiſcopus, & omnium doctor eximius eccleſiarũ, ne ciuitatis ſuæ ruinam videret, tertio obſidionis eius menſe migrauit ad Dominum v. kal. Sept. cũ vixiſſet annis LXXVI. lib. de ſex ætatibus.

HAYMON EPISC. HALBERSTATTEN.

SEcundum beatum Auguſtinum adhuc neceſſe eſt ad altiora conſcendere, & profundiora ſcrutari, qui in elucidandis quæſtionibus omnes doctores poſt Apoſtolos præcellit. in 2. ad Cor. ad cap. 12.

Carolus Magnus referente Eginharto delectabatur libris S. Auguſtini, præcipue ijs, quos de ciuitate Dei inſcripſit.

REMIGIVS MOMACH. ANTISIODOREN.

SIcut ſol in lumine excedit omnes planetas, ita Auguſtinus omnes exceſſit in exponendo ſacras ſcripturas. In comment. ſuper 2. ad Corinth.

RVPERTVS ABBAS TVITIEN.

AVguſtinus, columna & firmamentum veritatis, & vere columna nubis, in qua thronum ſuum poſuit ſapientia Dei. Lib.7. de operibus Spiritus ſancti, cap.19.

S. BERNARDVS.

AVguſtinus eſt validiſſimus malleus hæreticorum. Serm. 8. ſuper Cant.

SYNOD. OECVM. FLOREN.

AVguſtinum illuſtriſſimum Latinorũ doctorem, Quinta Synodus conſecrauit. In ſeſſ. 7.

IOAN. BAPT. AEGNATIVS DE exemplis illuſtrium virorum.

POterant innumera à nobis exempla huiuſce generis repeti, ſi Chriſtianos annales euoluere maluiſſem. Sed quoniam illuſtriſſima quæq. proponere in animo eſt, nemini dubium vt opinor ſit, quin inter anteſignanos attingam principem Aurelium Auguſtinũ, qui poſtea Hipponenſis etiam epiſcopus fuerit. Hic vero Monycha matre natus Chriſtiana, parentibus obſcuris, ingenio longe clariſſimo, Manichæam hæreſim, quam tũ à primis annis imbiberat, quam etiam acerrime defenderat, diui Ambroſij præceptis admonitus, animo neglexit, & ad verã pietatem regreſſus, ſic eam poſtea illuſtrauit, ſic tutatus eſt, adeo ornauit, vt merito ſibi inter omnes noſtros, primum locũ vendicarit. Vt enim omittam Hipponenſem epiſcopatum inuito illi demandatum, quotusquiſque hodie eſt, qui conferri illi iure poſſit? nam ſi tam felicis ingenij monimenta, tam ſibi conſtantis euoluas, neminem certe inuenias, quem ipſi Augu-

ſtino

ſtino præponas, ſiue ingenij vim, ſiue acumen, aut præſtantiam rerum ſcripturarum æſtimes. Si quidem tam vera eſt in eo pietas, talis fides, tanta eius doctrina & eruditio, vt nemo ſit, qui vel tranſuerſam vnguem ab eius ſententia diſcedere auſit.

Sed quomodo te diue Auguſtine hoc loco prætcrire potero, qui vnus tua ætate poſt receptam veram pietatem, & vitæ ſanctitate, & ſingulari omnino eruditione ita præſtitiſti, vt quē tibi conferre poſſim induſtria præcipue & ſtudio, certe non habeam. Nam poſt receptum ſpiritum rectum à diuo Ambroſio Romam profectus, vbi decedentem matrem ſepeliuit, in Africam contendens, à Valerio Hipponenſi epiſcopo vel inuitus coactus eſt epiſcopatum recipere, quòd Græci ſanguinis Valerius Latinæ orationis haudquaquam particeps ſuo muneri non ſatisfaceret. Quæ tua igitur hac in re induſtria, quid tuum diue Auguſtine fuerit ſtudium non facile conſequemur. Illud vero teſtari poſſumus te ſemper, aut aliquid ſcribentem, aut aliquid legentem fuiſſe ab omnibus inuentum, vbi à publica concione vacaret. Teſtantur hoc ipſum infinita litterarū monimenta partim contra hæreticos, partim pro reliquorum inſtitutione, præſertim vero duo & viginti libri de ciuitate Dei conſcripti, quos ſi quis legat diligentius, non poſſit non in ſententiam meam quamprimum ire.

IO. LVDOVICVS VIVES.

FVit enim viro illo ſtudium vberrimum, cognitio ſacrarum ſcripturarum exactiſſima, iudicium acre, & exterſum: ingenium ad miraculum acutum. Fuit ipſe ſincerioris pietatis diligentiſſimus propugnator, moribus manſuetiſſimis & ad charitatem Euangelicam effictis atque expreſſis, vitæq. integritate ſanctitateq. inſignis & adorandus.

HIERONYMVS TORRENSIS.

CERTE ſi ex aliorum patrum libris, qui multi & præclari extant,

extant, facere coniecturam licet, eorum nullus (quod bona illorum pace dixerim) cum tot tamq. varijs hæreticorum monſtris decertauit; nullus eo in genere copioſior, nullus vtilior, nullus doctior, nullus maiori dexteritate hoſtiles tractauit animos, nullus oratione mores ſectariorum elegantius depinxit, expreſſitque.

ECCLESIA.

AVguſtine, lux doctorum, firmamentum Eccleſiæ, malleus hæreticorum, ſummum vas ſcientiæ.

ANNO DOMINI CDXCII.

COrpus Beati Auguſtini ex Hipponeregio, in Inſulam Sardiniam, vbi multi prouinciæ Africæ religioſi epiſcopi, inter quos Fulgentius Ruſpenſis eminebat, Vuandalorum Alanorumq. ſæuientem rabiem fugiẽtes, deuenerant, v. Idus Octobris defertur, inq. Calaritana eccleſia manibus Fulgentij epiſcopi honorificentiſſime conditur, ibidemq. annis ducentis viginti octo permanſit.

AN. DOM. DCCXX. Liutprandus Langobardorũ Rex catholicus, cum comperiſſet Sarracenos Africa pulſos, omnẽ fere Hiſpaniam cepiſſe, atque eam Sardiniæ partem crebris incurſionibus vaſtare, in qua beati Auguſtini corpus olim trãſlatum ſumma cum veneratione colebatur, hortante Petro Ticinenſi epiſcopo regij ſanguinis atque animi viro, miſit, qui beati Auguſtini corpus à Barbaris pretio redemptum, in vrbem Ticinum, quæ vulgo Papia dicitur, transferrent. Quod vbi factum eſt, idem Rex qui honoris cauſa pedibus à Genua Ticinum vſque proſecutus fuerat, in templo ſancti Petri, quod ipſe mirifico opere à fundamentis ædificauerat, & ab aeris ſalubritate, IN COELO AVREO nominauerat, anno domini ſeptigenteſimo vigeſimo ſanctiſſimi Epiſcopi corpus collocauit ac condidit.

Bernar-

Bernardus Saccus lib. 10. hiſt. Ticin. loquens de huiuſmodi re: Aedificauerat, inquit, Liutprandus rex inſigne templum, quod diuo Petro dicauerat, monaſterio adiecto, quem locum ab aeris ſalubritate appellauit ſanctum Petrum in Cælo aureo. Quod monaſterium ea ætate ſitum extra Papiæ mœnia erat, hodie autem intra ciuitatem receptum. In templo itaque diui Petri à Liutprando ædificato conditum Auguſtini corpus fuit. Et ne facile reſciri poſſet, quo loco corpus eſſet, ferunt Liutprandum tribus locis effoſſis, ſtructisq. ſepulchris, alibi deinde nocte paucis operi adhibitis iuſſiſſe corpus condi, omnibus ſimul ſepulchris eadem nocte occluſis, vt certa corporis ſede ignorata difficilior in æuum fieret occaſio eius perquirendi, rapiendique. Conſtructum deinde alio ſæculo ſacellum fuit, in quo arca illa marmorea ac celebris compoſita eſt, Auguſtini ſepulchrum repræſentans.

POST Auguſtini obitum, apud Africam Vandalica perſecutione, Arianaq. perfidia, monaſterijs religioſorum euerſis, truſis in exilium effugatisq. catholicis epiſcopis, & (vt Victor epiſcopus Vticenſis enarrat) Chriſtiano nomine pene ea in orbis parte extincto, monachi item Beati Auguſtini alio traiecerunt ſe, cumq. in Italiam, Gallias, Hiſpanias, aliasq. regiones commeaſſent, inſtitutum quod ab Auguſtino receperant, pro viribus conſeruare, & quibuſcunque potuerunt rationibus augere conati ſunt. Verum cum poſtea Gothorum, ac Langobardorum, aliorumq. ſchiſmaticorum immanitate inualeſcente, maximum Dei eccleſia in Europæ partibus accepiſſet incómodum, monachorum ſimiliter & eremitarum Ordines adeò grauiter collapſi iacebant, vt ferè conſumpti viderentur. Quòd cum ſua ætate animaduertiſſet Guilhelmus S. Auguſtini eremita ſanctiſſimus, cœpit ad aliorum religioſorum imitationem ſuũ ſimiliter ordinem diſcerptum & collabaſcentem reparare: nec deſtitit, donec ordinem qui trans Alpes erat, in Hiſpania ſcilicet, Gallia, & Germania, inſtaurauit, multaq. monaſteria condidit, ita vt non amplius Auguſtiniani, ſed Guilhelmitæ dicerentur. Citra Alpes autem, Ioannes Bonus Mantuanus, non multo

poſt incredibili feruore ſurrexit, qui Auguſtinianum ordinem in Italia collapſum reparauit: multiq. viri ob eius ſanctitatem religionis diſciplinam ab eo ſuſceperunt, & præſertim Seraphicus Franciſcus, Ordinis Minorum poſtea inſtitutor, Vincentio Beluacenſi, Franciſco Petrarcha, & Sabellico hiſtoricis referētibus. Ioanni Bono ſuccedit in Tuſcia & Piceno Ioānes de Spelunca, poſt quem Ioannes de Cella, quo cū S.Franciſcus apud Piſas vixit: deinde Adiutus Fanenſis, poſt Philippus Parmenſis. In alijs vero Italiæ regionibus ſucceſſit eidem Matthæus cognomento Sanctus, huic Hugo Mantuanus, deinde Lanfrancus Mediolanenſis, qui poſtmodum omnium qui tam in Italia quàm extra ſub Auguſtini titulo viuebant, curam & adminiſtrationem ſuſcepit. Hac eadem tempeſtate memorantur Albertinus Veronenſis, Angelus Hetruſcus, & Guilhelmus Senghā, qui vnà cū alijs quibuſdam & ſanctis & doctoris Fratribus in Anglia Ordinem mirabiliter auxit. Paulo poſt miro deuotionis & ſanctitatis odore floruit beata Clara de Monteſalco Vmbriæ oppido. Poſt cuius obitum in illius corde Chriſtus Ieſus crucifixus impreſſus inuentus eſt: & in felle tres lapilli in fragiles reperti ſunt, eiuſdem penitus coloris, figuræ, & magnitudinis, vt inuicem diſcerni nequaquam poſſint: vnus præterea tanti eſt ponderis, quanti ſunt omnes tres vel duo, & duo quanti eſt vnus. Quòd ſane indiuiduæ Trinitatis myſterium nobis clariſſime demonſtrat. Corpus eius integrum penitus, & ſanguis in ampulla coactus in monaſterio S.Crucis memorati oppidi religioſiſſime cuſtoditur. Quæ omnia cum perſpexiſſet Nicolaus V. Pontifex Max. orationem ſequentem dedit, qua nos Deo commendantes, ipſius memoriam faceremus; ſuiſq; precibus & meritis adiuuari à Deo peteremuſs.

ANTIPHONA.

MOns Dei, mons pinguis, mons in quo beneplacitū eſt Deo inhabitare. Verſ. Ora pro nobis beata Clara. Reſp. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. Oremus.

ORA-

ORATIO.

DEVS, qui beatam Claram virginem tuam clarificaſti, & in ipſius corpore Paſſionis tuæ & Trinitatis myſteria renouaſti: præſta, quæſumus, eius precibus & imitatione, ſic nos tuæ paſſiouis amaritudine recordari, vt Trinitatis beatitudine perfrui mereamur. Qui viuis & regnas, &c.

De diſperſione Fratrum poſt obitum D. Auguſtini, & de antiquitate & vnione Ordinis, ex Iordano de Saxonia in libro quem inſcripſit Uitas fratrum.

CVM autem omnipotens Deus beatum Auguſtinum de valle huius miſeriæ ad cæleſtis regni gloriam euocaſſet, crebreſcente hoſtili Vuandalorum inſultu,& ſucceſſu temporis inualeſcente eorum perfidia, monaſterijs & eccleſijs in Africa Gentilitatis ritibus profanatis, concrematis, & deuaſtatis, perſonis quoque eorum exiliatis & fugatis, vt habetur in chronicis: tunc & Fratres illi qui in cænobijs ſub beato Auguſtino nutritore elegerant, hinc inde diſperſi ſunt. Quorũdam aliqui in Tuſciam deuenere, quia forte beatus Auguſtinus in tranſitu ſuo de Mediolano in Africam aliquos inde aſſumpſerat: & ſi ex illis forte illo tempore non aliquis fuiſſet ſupra, eorum tamen poſteri per eos educti poterant de Tuſcia boni aliquid audiuiſſe, videlicet, quomodo ibi eſſent Fratres aliqui eiuſdem propoſiti, per beatum Auguſtinum etiam inſtructi, & ſimilia. Sicq. illuc venientes, nonnulli eorum in cellis ſolitarie, alij in cænobijs eremiticis ſe receperunt, ſeruientes Domino, ſicut cuique Deus inſpirauit. Et ſic in illa ſancta communione per beatum Auguſtinum inſtituta, & per eum ſemper obſeruata, non omnino dirupta fuit & abolita: ſed in aliquibus bonis patribus extitit conſeruata, donec nouiſſimis temporibus illam diſperſionem Deus dignatus eſt cõgregare. Denique ab illa diſperſione multi fluxerunt anni, vſque ad tempora Innocentij

Papæ Tertij, qui fuit primus Papa qui circa Ordinem iſtum aliquid ſpeciale feciſſe legitur: quamquã veriſimile ſit, quòd ante eum plures Romani Pontifices ipſum Ordinem fuere congruis honoribus proſecuti, licet propter temporis antiquitatem, & Fratrum ſanctam ſimplicitatem, nihil à nobis de hoc ſcriptum inueniatur. Nam antiquitus ſancti Patres de priuilegijs, & gratijs ſcriptis ſe minime occupabant, ſed ſimplicem fauorem ſedis Apoſtolicæ & Prælatorum eius ſufficere arbitrati ſunt. Vnde infertur de Beato Franciſco, quòd ipſe ſuper gratia, quàm fratres Minores prædicant eſſe in Aſſiſio, priuilegium ſcriptum à Papà petere non curauit, contentus de oraculo viuæ vocis. Sic exiſtimo fuiſſe de patribus noſtris antiquis, qui adhuc in maiori ſimplicitate viuebant, quàm S. Franciſcus, cum ipſi in Eremo habitarent. Qualiter aũt fratres noſtri ordinis in illo interuallo tanti temporis, ſcilicet à diſperſione ſua de Africa vſque ad tempora prædicti Papæ Innocentij vixerint, quidve egerint, ſcripto authentico non inueni, vnde de hoc aliquid ſcribere non curaui. Sed hoc vnum certum eſt, quia illa ſancta propago S. Auguſtini non omnino extincta fuit, ſed in aliquibus bonis fratribus in quadam ſancta ſimplicitate viuentibus perdurauit vſque ad annum Domini MCCXV. quando celebratum fuit concilium Lateranenſe ſub præfato domino Innocẽtio Papa tertio. Quòd Ordo iſte illud Conc. Lateranenſe præceſſerit, exprimitur in 6. Decret. De relig. domibus. In quo concilio Ordines Fratrum Prædicatorum & Minorum, qui tunc recenter ſurrexerant, in fauorem quidem eccleſiæ recepti ſunt, ſed nondum confirmati, quia idem Innocentius ad eorum confirmationem durus fuit. In eodem etiam Concilio, vbi de ordinibus ſingulis tractabatur, Ordo Eremitarum S. Auguſtini regiſtratus & annotatus fuit abſque tamen ſolemnitate confirmationis, vt habetur ex Regiſtro Rom. Pont. Hic ergo Innoc. Papa tertius, fuit primus Pontifex, à quo Ordo habuit aliquot priuilegium ſcriptũ, quantum ego potui indagare. Confirmauit enim locum noſtrum S. Antonij in Ardigneta, qui eſt in prouincia Senenſi, cuius priuilegij formam vidi. Poſt hunc Honorius Papa tertius, qui Ordi-

nes

nes fratrum Prædicatorum, & Minorum confirmauit, etiam loca aliqua noſtri Ordinis ſub protectione ſedis Apoſtolicæ ſuſcepit. Poſtmodum Innocentius Papa quartus, vir vtique magnæ ſcientiæ & induſtriæ, qui ſedit anno Domini MCCXLIII. conſiderans ordines Prædicatorum & Minorum notabiliter creſcere, & fructus ſalubres in eccleſia Dei proferre, Fratres vero eremitarum S. Auguſtini ſibi ſolis per bonam vitam prodeſſe: cœpit velle agere, quatenus & ipſi ſicut Prædicatores & Minores finem ſalubrem & fructum in Dei eccleſia producere poſſent. Erat autem tunc temporis in diuerſis mundi regionibus, & præcipue in partibus Tuſciæ, diuerſi alij eremitæ ſub diuerſis titulis diuerſimode viuentes: quos omnes idem Innocentius Eremitis S. Auguſtini couniuit, reducens eos ad vnum ouile ſub vno paſtore, ſcilicet, Priore generali, mandans vt omnes ſub vna regula, vno modo profitendi, vno habitu, vno titulo, vno officio, & eiſdem conſtitutionibus vti deberent, muniensq. eos pluribus priuilegijs & gratijs, quorum omnia exemplaria, & nonnulla originalia ſub Bulla ego vidi. Et vt ordo eo efficacius ſurgeret ad crementum, dedit eis vnum Cardinalem prouiſorem Ordinis & protectorem: ſed morte præuentus, ea quæ propoſuit, non perfecit. Vnde beatus Auguſtinus, volens diſperſionē ſuæ religionis congregari, ſuccedenti ei in ſede apoſtolica, ſcilicet, domino Alexandro Papæ quarto, in viſione apparuit grandis quidem capite, ſed membris exilis: ex qua viſione velut diuino oraculo Papa commonitus, vnionem per prædeceſſorem ſuū dominum Innocentium inchoatam conſumauit. Ipſe namque Eremitas omnes diuerſorum ordinum, quorum quidam S. Guilhelmi, alij Fratris Ioannis Boni, alij de Monte fabali, alij de Brithinis cenſebantur, alij quoque apud homines ambiguis nuncupationibus vacillabant, necnon & Fratres de Pœnitentia Ieſu Chriſti, qui Saccitæ vocabantur: hos omnes in vnum redegit, & Ordini Eremitarum S. Auguſtini cum perſonis & locis effectualiter incorporauit & vniuit, diſpenſans cum eis ſuper diuerſarum profeſſionum & obſeruantiarum ligamine, quibus erant ante in prædictis vel alijs ordinibus obſtricti quomodolibet:

mandans quoque ac per cenſuram eccleſiaſticam eos compellendos decernens, quatenus ſub vna regula, vna forma, & vnius Prioris generalis obedientia, ſecundum regulam beati Auguſtini, omnes vnanimiter debeant militare. Et vt in hac ſancta communione nulla difformitas appareret, ideo Rom. Pont. determinauit eis habitum, officium, & titulum.

OBSERUATIONES QUAEDAM de Ordinis antiquitate.

INnocentius Tertius Pont. Max. qui fuit anno ſalutis MCXCVIII. Ordinem S. Auguſtini, vt inſtitutū omnino receptum & approbatum, commemorat lib. 2. tom. 1. ſuarum Epiſt. vbi Epiſcopis Vlixponēſi & Colimbrienſi demandat, vt compellant mulierem quandam ad reſumendum habitum Ordinis S. Auguſtini, eo quòd in manibus vnius ex ipſius ordinis fratribus votum emiſerat caſtitatis. Et lib. 1. eiuſdem tomi, Priori cuidam S. Auguſtini cōmittit, quòd excommunicatum denunciet Archiepiſcopum Cantuarienſem qui poſt appellationem ad apoſtolicam ſedem, Priorem ipſum excommunicauerat. De ijs quoque qui titulo Canonicorum regularium S. Auguſtini prænotantur, idem Pontifex Innocentius meminit lib. 2. Lubuſſenſi & Acconenſi epiſcopis, & lib. 1. Decano Vlixponenſi.

In concilio Lugdunenſi, cui præfuit Gregorius Decimus, memoratur Ordinem eremitarum Sancti Auguſtini præceſſiſſe magnam Synodum Lateranenſem ſub eodem Innocentio celebratam.

Ex vetuſtiſſimis certiſſimiſque noſtrorum aliquot monaſteriorum documentis, non ſolum ordinis antiquitas, ſed maieſtas quoque & exiſtimatio perſpici facile poteſt. Anno Domini 1059. Londini in Anglia fundatum eſt noſtrum S. Auguſtini monaſterium, omnium in Ordine celeberrimum.

Anno 1149. in Hiſpania conſtructum eſt S. Auguſtini Burgenſe monaſterium. Anno 1202. Salmaticenſe. Et in Gallia

1220.

1220. Narbonenſe. Et in Germania 1165. Colonienſe. Cum antea atque adeò prius extra ciuium frequentiam iacuiſſent. In Italia vtroque Conuentus noſtros, S. Andreæ Ferrarienſem, S. Iacobi Bononienſem, S. Spiritus Florentinum, S. Mariæ de Populo Romanum, S. Agnetis Mantuanum, S. Auguſtini Cremonenſem, Ceſenatenſem, Anconitanum, Viterbienſem, agno ſcimus multo ante hæc tempora in vrbibus collatos.

Legitur quoque in Hiſtoria Anglica, quòd anno Domini 1042. cum Achel notus Cantuarienſis epiſcopus, diui Auguſtini brachium Papiæ auri talento & centum argenti emptum in Angliam deportaſſet, Canutus Anglorum Rex multa ad cultum & honorem doctoris ſancti monaſteria conſtruxit & inſtaurauit.

Legitur præterea apud Odilonem Abbatem, quòd Adelheida, Sueuorum ducis Hildibrandi & Regardæ Bauarorum duciſſæ filia, Hildegardis reginæ (quæ Carolo Magno deſponſata fuerat) ſoror, & Othonis comitis Caldarienſis vxor, fuſis Hunnis, & ex Germania virtute Caroli Magni eiectis, trucidata mariti & filiorum corpora collegit, & in ſempiternam eorum memoriam Buchouienſe monialiũ Auguſtinianæ profeſſionis cænobium fundauit, in cuius templo maritum cum filijs honorifice ſepeliri fecit.

Præterea tempore Pontificatus Alexandri Sexti, peregrè in Italiam (referente Sabellico) delati ſunt Eremitanæ obſeruationis quidam ex ea Aethyopia quæ eſt ſupra Aegyptum, qui Romanum longo commercio ſermonem adepti, magnum dicebant initiatorum numerum nominis Auguſtinianorum ab Eremo eſſe in terra vnde profecti eſſent, Conuentusq. plurimos, quorum certus iniri non poſſet numerus in tanta terrarum vaſtitate. Quæ eò veriora videntur, quo ex Libya, vbi is pietatis cultus ortus eſt, facilius potuit in eam terram, quæ locorum propinquitate agnata illi eſt, quàm in remotiores oras penetrare, cum Vuandalorum Alanorumque iniuriam ab initio declinauit.

CHRON. ORD. FRATRUM
DE S. GUILHELMO.

AN. DOM. MCLXXVIII. Quarto Idus Februarij, Beatus confeſſor Guilhelmus, olim Aquitaniæ Dux,& Pictauienſium comes,plurimis clarus miraculis Pariſijs feliciter migrauit ad Dominum. Hic puer à Beato Bernardo cum bonarum litterarum ſcientia,tum præcipue morum probitate diligenter inſtitutus eſt.Qui cum ſub ſancto Ludouico Galliæ rege ſtrenue militaſſet, Sarracenoſque Aquitaniam inuadentes Caroli eiuſdem Ludouici fratris exercitu debellaſſet, exinde pro intima linea tunica loricam indutus, Hieroſolymam primum,deinde limina beati Iacobi magno deuotionis ardore viſitauit. Poſt hæc in patriam reuerſus, & illa Domini verba recolens: Vade, vende omnia quæ habes,& da pauperibus,& habebis theſaurum in cælo, & veni, ſequere me: ſpretis ſæculi pompis, ſua omnia reliquit: atque in Eremũ vaſtam cum ſeſe abdidiſſet,ſub patris Auguſtini inſtitutis & diſciplina perfectus Chriſti ſeruus eſſe cœpit. Factus itaque religioſus, quanto in ſæculo altiori in faſtigio fuerat,tanto ſe humilius in religione geſſit: & vt antea armatus barbaros hoſtes proterere conſueuerat, ſic vere ad Deum conuerſus, crebris orationibus,vigilijs, ieiunijs, corpus ſuum aſſidue affligebat,quorũ munitus præſidijs,ſpirituales hoſtes, atque ipſius carnis illecebras domuit. Quamobrem multi vndique,quibus vita ipſius fama nota fuerat,ad eum confluebant,& tamquam parentẽ optimum & doctorem obſeruabant. Cum vero Gothorum,& Lõgobardorũ,aliorumq. ſchiſmaticorũ immanitate,Ordinem quẽ profeſſus fuerat, maximis adfectum incommodis animaduertiſſet,quæ temporis incuria vel diuturnitate labefactata erant,monaſteria cœpit inſtaurare: nec deſtitit, donec vniuerſum Ordinem per Hiſpaniam, Galliam, Angliam, Germaniam, & Illyricum reſtituit,multiſque ampliſſimis monaſterijs ornauit.

ME-

MEMORIA QVARVNDAM rerum ante vnionem geſtarum.

AN. Domini 1222. Die 23. Octob. Ioannes Bonus, dũ in agro Mantuano paruo in monaſterio à ſuis conciuibus ſibi conſtructo, vitam ageret, ſenior (octauo ſcilicet & nonageſimo ætatis ſuæ anno) deceſſit, relatus inde poſt mortem in vrbem, cuius vita ſanctitatis & miraculorum gloria illuſtris fuit.

An. Dom. 1242. Sanctus Nicolaus de Tolentino, Ordinem Eremitarum S. Auguſtini, adoleſcens, in oppido quod Sanctus angelus nominatur, prope Firmanam ciuitatem, amplexus eſt.

An. Dom. 1249. Innocentius quartus Pont. Max. ad Ordinẽ Eremitarũ S. Auguſtini Fanenſis diœceſis aggregat monachos domus S. Mariæ Magdalenæ de Valle Petræ Ordinis S. Benedicti Bononienſis diœceſis. Dat. Lugduni 7. Idus Decembris; Pontif. anno 7.

An. Dom. 1251. Idem Pontifex Fratribus S. Auguſtini dat amplam facultatem ædificandi monaſteria & eccleſias, vbi celebrent diuina, & eccleſiaſtica ſuſcipiant ſacramenta. Dat. Peruſij 3. nonas Aug. Pontif. an. 10. Et ſequenti anno concedit Generali & alijs Prioribus & Fratribus licentiam capiendi & incarcerandi apoſtatas, & inſolentes Ordinis. Datum Laterani, 5. Kalen. Maij.

An. 1254. Alexander quartus Pont. Max. concedit, vt Generalis, ceterique Priores poſſint ſuſpenſos, interdictos, & excommunicatos abſoluere, & cum clericis ſuper irregularitatis macula diſpenſare, ſi Ordinem profeſſi fuerint. Item, vt fratres diſcedentes ab Ordine propria voluntate, vel eorũ culpis amoti, & qui Ordinem non profeſſi deferunt habitum, poſſint compelli ad deponendum ipſum habitum. Item, mandat omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis, vt nullam contra priuilegia & indulgentias Ordini à ſede Apoſtolica conceſſa inferant moleſtiam, & pro diuina & ſua reuerentia Fratres habeant commen-

datos. Item, eiſdem præcipit, vt ſententias excommunicationis à Priore generali contra Fratres obedientiæ contemptores latas, ſi requiſiti fuerint, publicent. Item, vniuerſis eccleſiæ Prælatis mandat, vt fugitiuos Ordinis moneant, & quãtum poſſunt adducant vt reuertantur. Item, vt ad ſolutionem collectarum ſi quæ fiunt, non teneatur Ordo: &, vt decimas eorum agrorum cauſa, quos proprijs manibus colimus, ſoluere cuipiam non teneamur.

Mediolani monaſterium noſtrum S. Marci ad placandum Deum ſæua peſte bellorum ciuilium cladibus excuſa, magno Reipublicæ ſumptu ædificatur, cum antea extra ciuium frequẽtiam prope Volam oppidum Fratres commorarentur.

Guilhelmus Sengham ſanctitate & ſcientia præſtantiſſimus, à Lanfranco Mediolanenſi in Angliam ex Italia miſſus, ibi legit, expoſuit, docuitque pleraque non ſine multorum vtilitate & fructu. Qui etiam (Thoma Colbio Vaterfordenſi epiſcopo referente) compoſuit.

De fide & legibus lib. 1.
De clauſtro animæ lib. 1.
De profeſſione nouitiorum lib. 1.
De tentationum remedijs lib. 1.
Annotationum ſcripturarum lib. 1. Et alia quædam nobis adhuc ignota. Opus de fide & legibus, plerique alteri cuidam Guilhelmo de Altapetra Pariſienſi quondã epiſcopo tribuunt.

Lanf. P. G.

Ordo Eremitarum S. Auguſtini vnitur, & adiunctis eidem nonnullis aliarum profeſſionum congregationibus dilatatur.

ANNO DOMINI MCCLVI.

ORDINEM Eremitarum S. Auguſtini ab ipſo Auguſtino incœptum, collabentem à S. Guilhelmo trans alpes, in Ita-

in Italia à beato Ioanne Bono inſtauratum, nouiſſime Alexander quartus Pont. Max. aliorum complurium monachorum & eremitarum congregationibus adiunctis amplificauit, & ſolemniter confirmauit, vnumque vniuerſorum Priorem generalem inſtituit Lanfrancum Septalanum Mediolanenſem; deſignans vniuerſis eundem habitum, eundemq. titulum, vt ſcilicet Ordo eremitarum S. Auguſtini dicerentur, eraſis alijs quibuſcunque titulis & nominationibus, Romæ habito conuentu in monaſterio S. Mariæ de Populo.

Congregationes vnitæ, præcipuæ hæ ſunt.

CONGREGATIO Eremitarum Vallis Hirſutæ per Italiam propagata.

Congregatio eremitarum de pænitentia Ieſu Chriſti per Italiam & Galliam propagata.

Congregatio eremitarum S. Auguſtini Turris palmarum Firmanæ diœceſis.

Congregatio eremitarum S. Ioannis Boni per vniuerſam Italiam propagata.

Congregatio eremitarum S. Auguſtini, in loco S. Blaſij de Brithinis Fanenſis diœceſis.

Congregatio eremitarum Sanctæ Trinitatis Centumcellis in Tuſcia.

Congregatio eremitarum S. Mariæ de Lupocauo Lucenſis diœceſis.

Congregatio eremitarum Sanctæ Mariæ de Murceto Piſanæ diœceſis.

Congregatio eremitarum S. Iacobi de Monilio Lucenſis diœceſis.

Congregatio eremitarum S. Benedicti de Monte fabali per omnem fere Italiam propagata.

Congregatio eremitarum S. Guilhelmi per Galliam, Angliã, Germaniam, & Illyricum propagata.

His omnibus Congregationibus ſub titulo vnico, Ordinis

ſcilicet fratrum eremitarum S. Auguſtini vnitis, vnus idemque dux & pater præficitur Prior generalis appellatus, videlicet, Lãfrancus Septalanus Mediolanenſis, cum antea ſingulæ ſingulum rectorem agnoſcerent.

Anno 1257. Idem Pontifex concedit, vt Fratres Ordinis poſſint in locis interdictis voce demiſſa, excluſis excommunicatis, ianuis clauſis, ſine campanarum ſono, & horas dicere & ſacra facere. Item, vt poſſint petere, retinere & accipere bona omnia temporalia, mobilia & ſtabilia, quæ habere potuiſſent, ſi in ſæculo remanſiſſent, non obſtante contraria alicuius loci conſuetudine vel ſtatuto.

Anno 1261. Vrbanus quartus Pont. Max. anno ſui pontificatus primo, confirmat priuilegium de ſuſpenſis, interdictis, excommunicatis ad Ordinem recipiendis & abſoluendis: vultque vt apoſtatæ Ordinis poſſint excommunicari, aut capi, niſi ſalutiferis monitis obtemperent.

Anno 1262. Veronæ conceſſa eſt Eccleſia parochialis S. Euphemiæ prope Atheſim, cum diu Fratres extra vrbis mœnia eſſent commorati.

Anno 1263. Monaſterium cum eccleſia S. Auguſtini ciuitatis Vrbeuetanæ, vbi tunc Curia Romana erat, opera & impenſis Vrbani quarti Pont. Max. à fundamentis cœptum eſt ædificari.

Anno 1264. Eremitæ S. Auguſtini Vuormatiam intrantes, conuentum & cœnobium ſui Ordinis ibidem conſtruxerunt, epiſcopo Euerhardo conſentiente, ciuibuſq. auxilia & ſubſidia conferentibus. Tritemius in chron. abbat. 25.

Anno eodem Patauini eccleſiam SS. Apoſtolorum Philippi & Iacobi magnam ſane & ſpecioſam extruxere ex tignis pro ædificando prætorio comparatis, quæ cum minus idonea ad tantum opus reperta fuiſſent, à Republica eò deducta fuerunt.

Lanfrancus Prior Generalis Mediolani moritur, ac in templo Sancti Marci à ſiniſtro latere maioris aræ ſepelitur.

GVI-

GUIDO P. G.

ANno Chriſti MCCLXV. Guido de Stagio Prouinciæ Senenſis deſignatur Prior generalis Romę comitijs habitis iterum in monaſterio S. Mariæ de Populo: & rexit Ordinem annis quinque.

Clemens quartus Pont. Max. vult & ſtatuit Ordinem non teneri portionem canonicam alicui præbere de ijs quæ in ornamentis, ſeu pro eiſdem, vel fabrica, luminaribus, anniuerſario, ſeptimo, trigeſimo, ſeu alijs, ad perpetuum cultum diuinum, legātur: & confirmans priuilegium de apoſtatis capiendis, & excommunicandis: illud etiam omnino decernit, vt in locis & oratorijs Ordinis poſſint altari viatico Miſſarum ſolemnia, aliaque diuina officia celebrari.

Herthinodus Gothus vir ſumma religione præditus, De quo apud Iordanum legitur, quòd recolens euangelicum illud: Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis: pollicentis liberalitate confiſus, Deum orauit, vt Chriſtum Ieſum, qualis, cum paſſus eſt, in cruce pependit, ſibi liceret intueri: qua re impetrata ita diuino amore conflagrauit, vt anima ipſius dolore ex miſericordia ſaucia videretur. Poſt aliquanto, cæleſtium rerum deſiderio æſtuans, à Deo iterum petiuit, vt qua gloria atque lætitia Mater vnigeniti filij ſui ad cælum eucēta eſt, eam oranti demonſtraret. Id quod eſt factum: itaque acerbitatem, & dolorem prioris viſionis, ſuauitas alterius & lætitia temperauit.

CLEMENS P. G.

AN. Chriſti 1270. Clemens de Auximo, vitæ integritate ſanctitateque inſignis, Guidone defuncto, Prior generalis, apud Vrbemueterem conuentu habito, Die 12. Maij, conſtituitur.

Argentinæ locuples monaſterium extruitur opera & impen-

ſis

ſis Henrici Barri Argentinenſis epiſcopi. Gaſpar Bruſchius to. 1. Germ. epiſc.

An. Dom. 1274. die 16. Maij, Lugduni, vbi Concilium generale habebatur, conuentu ad creandos magiſtratus, ferendasque leges ex omni regione coacto, Clementem qui officiũ deponere connitebatur, Priorem generalem iterum declararunt: conſpirauerant enim aut eundem præeſſe, aut neminem.

Molariæ in agro Tuſculano, nouo ædificato monaſterio, comitia eodem anno die 18. Nouemb. habentur, quibus interſuit Ricardus Hannibaldenſis Cardinalis ampliſſimus. Cumque in hoc conuentu nemo ad ſuadendum proficeret, vt Clemens qui iam ſeſe eripuerat, officium retineret, tandem Franciſcus Regienſis Prior Generalis deſignatur.

FRANCISCVS DE REGIO P. G.

AN. Chriſti 1275. 15. kal. Nouemb. habitis iterum Molariæ comitijs ad reuiſendas emendandasq. Ordinis conſtitutiones, eodem Ricardo Cardinali præſidente, Generalis Prior declaratur Franciſcus Regienſis lector, magni vir ingenij, doctrinæ eximiæ & vitæ honeſtiſſimæ, qui præfuit annis decem.

Veronæ, 7. Idus Auguſti, fuit poſitus primarius lapis eccleſiæ nouæ S. Euphemiæ, quæ poſtea in ea magnitudine & ſpecioſitate, vt nunc cernitur, ex frequentiſſimis mira populi deuotione eleemoſynis condita eſt.

Centumcellæ hoc eodem anno comitia habentur 14. kal. Decemb. in quibus Prouincialis Romanæ prouinciæ creatur Ioannes Cremonenſis: & Molariæ, vbi numeroſa iuuenum auditorum ſchola conſtituta erat, lector deſignatur Leonardus Viterbienſis ſacrarum litterarum cognitione apprime clarus.

Guilhelmus Anconitanus, quem ſua ſanctitate, & ſcientia adamabat plurimum Hugo Dominicanus S. R. E. Cardinalis, qui in omnes & veteris & noui teſtamenti libros egregie ſcripſit, librum De Pænitentia inſcriptum his temporibus edidit, cuius etiam meminit Ioannes Bunderius in Compendio Luthe

ran.

ran. concert. vbi agit de contritione.

Anno 1276. Comitia habita ſunt Tuderti, 6. Idus Septemb. ad reuiſendas iterum, confirmandasq. & exequendas Ordinis conſtitutiones. Et poſtero menſe ad Cyminum lacum in monaſterio S. Trinitatis conuenientes, Romanæ prouinciæ declaratur Prouincialis, Augur Romanus acris vir ingenij. Definitores, Simon Cornetanus, Iacobus Peruſinus, Matthæus Viterbiẽſis, & Auguſtinus cognomento Seneca. Prior monaſterij S. Mariæ de Populo, Hieremias de Spoletio, vir quidem eruditus, & rebus Vrbis ſatis accommodatus. Monaſterium S. Mariæ de Populo ſemper plus ponderis habere, quàm vniuerſa habuerit religio, maiores noſtri arbitrati ſunt, quòd in ea Vrbe eſſet vnde omnia ſemper conſueuerunt vel turbari, vel componi.

Anno 1277. 6. Idus Septemb. Ordinis Comitijs Viterbij habitis, vbi curia erat vniuerſa, vacante tamen ſede, eidem Franciſco magiſtratus prorogatur, Romanæq. prouinciæ conſtituitur Prouincialis Leonardus Viterbienſis, vir quidem apud curiæ principes non mediocris vel nominis vel auctoritatis. Frequens Cardinalium Senatus interfuit noſtris ſolemnibus, iuſſusq. eſt generalis Prior de creando Pōtifice verba facere. Et paulo poſt Nicolaus tertius creatus, cōceſſit ijs qui ad noſtræ generalis Synodi alimentum quicquam donauerint, quadraginta Indulgentiæ dies.

Anno 1278. Comitia habita ſunt Arimini in Sancti Spiritus aduentu menſe Maio, in quibus factitatum eſt, quid ſingulis prouincijs, quid vniuerſo conducat Ordini: & quædam annorum ſuperiorum errata emendarunt, quædam omiſſa repoſuerunt, quædam neglecta reſtituerunt. Iuuenum atque adoleſcētum educationem curari iubēt, vt ſtudijs tum ſanctimoniæ, tum eruditionis imbuantur.

Anno 1279. Conuentus Peruſiæ habetur feſto Pentecoſtes, eadem ratione & cauſa.

Anno 1281. Patres conueniunt Patauij feſto Aſſumptionis beatæ Mariæ, vbi præter alia ſanxerunt, Ordinis conuentum, quod Capitulum generale appellant, ſingulo triennio haberi:

vtque

vtque de diuerſis Ordinis per Germaniam præſertim monaſterijs Fratres ad ſcientiam ſcripturarum hauriendam, Patauium, Bononiamque in Italiam mitterentur. Aegidius Romanus Baccalaureus Pariſienſis, Romanæ prouinciæ definitor, omnibus negotijs non interfuit ſolum, ſed etiam præfuit.

CLEMENS ITERVM P. G.

ANNO Chriſti 1284. 5. kal. Iunij, apud Vrbemueterem quod Oruietum vocant, vbi Curia erat vniuerſa, conuentū habito, Clemens de Auximo iterum Prior generalis renunciatur, licet inuitus, Franciſco Regienſi vita functo.

Aegidius Columnius Romanus vir & ſanctus & doctor, ſummo honore & fructu Lutetiæ Pariſiorum philoſophiam & theologiam publice docet, librumq. titulo Correctorium corruptorij edidit aduerſus Guilhelmum Lamarēſem Minoritam, qui cum Bonauenturæ Cardinalis doctrinā præ cæteris omnibus ſublimaret, librum inſcriptione Correctorium operū Thomæ, in luce paulo ante prodiderat.

Gualterus Anglus cognomento Recluſus, homo ab adoleſcentia in bonis litteris verſatus, poſt perceptas artes quas vocant ſæculares, ætate adhuc florente ſtudijs ſacris addictiſſimus, vtriuſque doctrinæ diuinæ & humanæ experimenta quædam publica dedit. Diſcipulós inde ſuarum lectiónum non paucos habebat, qui tandem euaſere in viros & probos & doctos. Scripſit inter cetera, dum eſſet ab hominum ſocietate ac ciuium tumultu per incluſionem ſeparatus.

De mundi contemptu lib. 1.

De vita ſolitaria lib. 1.

Meditationum lib. 1. Atque alia. Huius opuſcula nonnulla ad compendia poſtea reduxit Ricardus Lauinham Carmelita, homo eruditus, vt lectoribus apprime neceſſaria.

Honorius quartus Pont. Max. donauit Ordini Eccleſiam S. Tryphonis ciuitatis Romanæ: & Gualteri præfati poſtulatu confirmauit locum Pariſienſem, non quòd ibi Ordo longe ante

monaſte-

monaſterium non haberet, ſed quod ob loci incommoditatẽ in alium commodiorem translatus erat, & non ita facile recipiebatur, idcirco Pontificis conceſſione opus fuit.

Idem Pontifex concedit, vt tempore generalis interdicti, Vigilia & Feſto S. Auguſtini poſſit Ordo alijs cũ religioſis & clericis, apertis ianuis, diuina officia ſolemniter celebrare.

Anno 1287. octauo kal. Iunij Florentiæ conuentu habito Clemens de Auximo in officium retinetur.

Nicolaus Quartus Pont. Max. anno primo ſui Pontif. conceſſit omnibus vere pænitentibus quoties Ordinis comitijs manum porrigerent adiutricem, eiusque loca, præſertim prædicationis tempore viſitarent, ibidem in die prima ipſorum comitiorum, & ſeptem diebus immediate ſequentibus, annum vnum & quadraginta dies de iniunctis pænitentijs relaxauit. Viſitãtibus quoque eccleſias Ordinis in feſto Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, & beati Auguſtini, & in diebus Dedicationis eccleſiarum vſque ad octo dies ſequentes, pro qualibet vice centum dies de iniunctis pænitentijs condonauit.

Idem Pontifex petijt à Priore generali Fratrem qui in curia continuus aſſideret pro audiẽdis confeſſionibus & pænitentijs imponendis, & conſtituitur Auguſtinus cognomento Nouellus iuris prudentia præditus & vitæ ſanctitate inſignis, qui ibidẽ annis ferme duodecim permanſit.

Idem Pontifex ſecundo ſui põtificatus anno Priori generali demandat, vt ipſe cum viginti fratribusſua prudentia & iudicio delectis prædicent viuificæ Crucis myſterium contra Sarracenos in recuperatione Terræ ſanctæ.

Anno 1290. duodecimo kal. Iunij, habita ſunt comitia Ratiſponæ, in quibus Conſtitutiones Ordinis editæ fuere. Deus hanc Synodum per Clementem Priorem generalem ornatam eſſe uoluit multis ſignis & indicijs ſanctitatis ſuæ.

Clemens Prior generalis vir multis miraculis & ſumma pietate clarus, apud Vrbem veterem extrema ſenectute animam egit, ad cuius corpus multi veletudinarij delati, multi cæci perducti, muti & claudi, priſtinã valetudinem beati Clementis

meritis a Deo recepere. De quo Iordanus Saxonius narrat, quòd ob miraculorum magnitudinem, & opitulationes, quæ diuinitus ſæpe numero languentibus conferebantur, Nicolaus Quartus Pont. Max. qui apud Vrbē veterē cū curia Cardinaliū & aliorū Prælatorū erat, voluit multis hebdomadibus inſepultū iacere: nā aſſerebat corpus tātæ ſanctitatis nō eſſe dignū vt terra operiretur. Tāta igitur multitudo populi ad videndū illud corpus ſingulari deuotione quotidie cateruatim irruebat, ꝙ propter nimiam preſſuram populorum oportuit magiſtratum Vrbis veteris plures domos effringere, & vicum communem ad locum Eremitarum S. Auguſtini tendentem ampliare, vt ſic populo liberius acceſſus præberetur. De cuius corpore acre calidiſſimo nulla horrenda exalatio, ſed perpetuo ſuauiſſimus odor flagrabat. Hæc Iordanus in lib. qui inſcribitur Vitas fratrum. Hic Clemens, duodecim annis quibus Ordini duobus magiſtratibus præfuerat, plus dignitatis eidem fama ſanctitatis comparauit, quàm multis antea temporibus habitum eſſet.

Anno Chriſti 1291. die 8. Aprilis, mortuo Clementi ſucceſſit Vicarius, Paulus Peruſinus, qui cum ordinem, Vicarij titulo gubernaſſet menſibus nouem, Vrbeuetere vbi adminiſtrator ſuffectus fuerat, animam egit.

EGIDIVS ROMANVS P. G.

ANNO Chriſti 1292. ipſo die Epiphaniæ Domini, Comitia Romæ habentur in monaſterio S. Mariæ de Populo, in quibus Prior generalis eligitur Egidius Romanus theologus præſtantiſſimus.

Anno 1294. Nicolaus de Tolentino miraculorum fulgore coruſcans viuere inter mortales deſinit: quem poſtea Eugenius Quartus Pont. Max. in Sanctorum numerum retulit, & eorum in albo ſcribi iuſſit.

Cæleſtinus Quintus Pont. Max. concedit, vt loca Ordinis ſub ſede tantum Apoſtolica eſſent. Amplam quoque facultatē exhibet prædicandi & audiendi confeſſiones. Dat. Neapoli

5. kal.

Quinto kalen. Decembris.

Thomas Borſtale Nordouolgienſis, vir, ſi quis alius, immortali fama dignus. Nam (Thoma Colbio referente) prꝗterquã quòd per Anglorum gymnaſia in omni diſciplinarum genere verſatus fuerat, Pariſiorum Lutetiam acceſſit, & vtramque notitiam, humanam ſcilicet & diuinam, tam copioſe illic hauſit, vt & Pariſienſis theologus inter primos ſit inibi effectus, atque ad Lecturã theologiæ publicam prælector admiſſus. Compoſuit

Lecturam ſententiarum lib. 4.

Ordinarias diſceptationes lib. 1.

Quodlibeta ſcholaſtica lib. 1. Et alia plura. Obijt tandem Nordouici, in Auguſtiniano illic cœnobio ſepultus.

Anno 1295. Egidius Romanus theologus, conciliante literatura, ſanctitateq. vitæ, creatur Archiepiſcopus Biturigum.

SIMON PISTORIENSIS P. G.

ANNO Chriſti 1295. 11. kal. Iunij, conuentu habito Senis Hetruriæ vrbe, declaratur Prior generalis Simon Piſtorienſis. In hac ſynodo conſtituuntur toni, quibus decantentur Pſalmi, lectiones, & cetera alia quæ in Eccleſia publice dicuntur, edito libro, quod Ordinarium vocant.

Vitus Pannonius vir ſanctus, ſicut in teſtamento veteri Eliſeus, mortuus iam, mortuum ſuſcitauit.

Angelus Camers Theologus edidit Lecturas in M. Sententiarum Senis & Bononiæ habitas. Annotationes in omnes D. Pauli epiſtolas, & Sermones ad populum. Quæ omnia cuſtodiuntur in bibliothecis S. Marci Mediolani, & Sancti ſpiritus Florentiæ.

Anno 1297. Theobaldus Veronenſis Veronenſium creatur epiſcopus. Hic ſemper vixit ſanctiſſime, multaq. in pauperes, peregrinos, clericos & religioſos omnes, vſus eſt benignitate & liberalitate: & licet in negotijs eccleſiaſticis diem fere omnem conſumeret, ſpiritum tamen relaxabat numquam à ſtudio diuinarum rerum: & verbum Dei ita luculēter, ita magnifice diſ-

ferebat, vt ſaxeis etiam cordibus ſermo eius lacrymas excutere poſſe videretur. Extant adhuc eius egregij atque deuoti ſermones ad clerum & ad populum, qui Veronæ aſſeruantur in bibliotheca Canonicorum. Sedit in epiſcopatu annis triginta quatuor, & cum eſſet nonagenarius lenta febri moritur die 19. Nouemb. An. ſalut. 1331.

AVGVSTINVS NOVELLVS P. G.

ANNO Chriſti 1298. Comitia habita ſunt Mediolani, die 25. Maij, in quibus Simone Priore generali ſe magiſtratu abdicante eligitur Auguſtinus cognomento Nouellus, qui erat in curia Romanis Pontificibus à ſecretis confeſſionibus.

Bonifacius Octauus Pont. Max. quarto ſui pontificatus anno cōſtituit & omnino vult, quòd perſonæ ordinis, & eccleſiæ, oratoria, domus, & omnia ſpectántia ad ordinem, ac perſonæ degentes nobiſcum, ſolo Romano Pontifici ſint ſubiecta, ſicq. vt à cuiuſcunque diœceſani aut alterius poteſtatis iuriſdictione & Dominio, omnimode & in perpetuū prorſus ſint exempta, de gratia ſpeciali. Dat. Laterani. 12. kal. Febr.

Iacobus Camertinus, Ordinis in Romana curia procurator, poſt Auguſtini Nouelli ab ea diſceſſum, Romanorum Pontificum Pænitentiarius, & Sacrarij pontificij cuſtos deſignatur. Hinc officia Sacriſtæ, & Procuratoris Ordinis in Romana curia, quæ hodie ſunt ex primarijs in Ordine dignitatibus.

FRANCISCVS RVBIEN. P. G.

ANNO Chriſti 1300. primo Iobilei, kal. Maij, conuentus coactus eſt Neapoli in Campania, vbi cum Auguſtinus Nouellus patribus id moleſte ferentibus officium depoſuiſſet, electus eſt Prior generalis Franciſcus Rubienſis Picenus, qui Ordinem rexit annis octo. Carolus Secundus Neapolitanorum Rex comitijs noſtris interfuit, eaque mire fouit, quin etiam Ordini reliquias capitis D. Lucæ Euangeliſtæ dono dedit, quæ hodie

multa

multa cum veneratione in eccleſia S. Auguſtini Neapoli cuſtodiuntur. Contigit in hoc Patrum conſeſſu, Auguſtinum Nouellum ante officij depoſitionem, Iacobum Viterbienſem theologum grauiter increpuiſſe, quòd fratrem quendam rei male actæ accuſatum defenſare niteretur. Hoc factum ita Henricus de Vrimaria, qui præſens fuit, commemorat. Accidit in hoc capitulo priuſquam beatus frater Auguſtinus officium reſignaſſet, cum venerabilis Doctor frater Iacobus de Viterbio vir magnæ ſciētiæ & famæ ſicut eius ſcripta teſtantur, qui poſtea fuit Archiepiſcopus Neapolitanus, rogatus eſſet, vt in capitulo generali ex pietate vellet patrem Generalem informare de innocentia cuiuſdam boni fratris apud eum ſiniſtre delati: ipſe pater Generalis ex zelo vehementi conuocatis patribus, non deferens reuerentiam tantæ perſonæ, dixit hæc verba: Fratres cariſſimi, dolentes vobis denuntiamus, quòd fratres quidam per ordinem enutriti, & in ſtatu honoris poſiti, ſic rependunt ſuæ matri religioni, quòd fratres defectuoſos & vitioſos excuſare & defenſare nituntur. Ad hæc verba præfatus magiſter Iacobus venerabilis conſiderans, quòd prædicta obiurgatio non procederet niſi ex corde beneuolo & zelo feruido tanti patris, ſurrexit coram omnibus, & humiliter reſpondit in hæc verba: Pater proteſtor coram Deo, & vobis, ſi quid in iſta materia locutus ſum, hoc feci ex ſincero animo & pura intentione pro bono Ordinis: tamen ſi vobis videtur, quòd in hoc offenderim, dico meam culpam Deo & vobis, & paratus ſum emendare. Ad quod reſponſum tantæ humilitatis & reuerentiæ à tanto viro, omnes fratres fuere ſtupefacti, & medulitus emendati, & animus prædicti Prioris generalis totaliter conquieuit.

Anno 1301. Bonifacius Octauus Pontif. Max. concedit & vult, ſepulturam in eccleſijs & locis Ordinis eſſe liberam omnibus qui ſe illic ſepeliri deliberauerint.

Anno 1303. in Sancti Spiritus aduentu habitus eſt conuentus Peruſij, in quo eidem Franciſco magiſtratus in triennium prorogatur.

Anno 1304. Benedictus Vndecimus Pont. Max. conceſſit,

vt Prior

vt Prior generalis poſſit abſoluere fratres ab excõmunicatione, & cum eiſdem ſuper irregularitate diſpenſare, hocque ipſum Prioribus prouincialibus committere, ſiue ante ingreſſum Ordinis ſiue poſt, in cenſuris huiuſmodi incurriſſent. Dat. Laterani 4. Idus Febr.

Anno 1306. feſto Pentec. Bononiæ comitia habentur, in quibus eidem Franciſco iterum magiſtratus in aliud triennium prorogatur: conſtituiturq. ieiunium in vigilia ſancti patris Augustini, vt obſeruaretur in vniuerſo Ordine. Hoc etiam anno ſedes pontificia Auinionem translata, ibi annos 70. conſtitit.

Anno 1307. Gandaui Patres conuenere, diſciplina Ordinis in eis partibus aliquantum remiſſæ, vbi de moribus in melius reformandis actum eſt.

Eodem anno Franciſcus Prior generalis, Gandaui die Natalis Domini deceſſit.

Iacobus Viterbienſis, ab acri terſoque ingenio Speculatiuus doctor appellatus, cum Lutetiæ Pariſiorum Magiſtrum ſententiarum explanaret, aliasq. de Prædicamentis in Diuinis vtiles & ſubtiles concluſiones pertractaret, in ſupremam eruditorũ claſſem recipitur. Eoque tandem eius creuit opinio & auctoritas, vt videntes & intelligentes eum in ſuorum dogmatum explanatione, doctrinam Thomæ Aquinatis impugnare, ſuam illa ſolidiorem eſſe contenderent. Deinde ob tam egregia ſuæ vitæ & ſcientiæ merita, certatim vnanimiterque Archiepiſcopus electus fuit in duabus eccleſijs Neapolitana, ſcilicet & Beneuentana, at Neapolitanus Archiepiſcopus conſecratus eſt. Igitur hoc tempore multo in pretio exiſtens, ſcripſit ad Clementem Quintum Pont. Max.

De Regimine Chriſtianitatis lib. 2. qui Romæ cuſtodiuntur in bibliotheca Vaticana.

Super Magiſtrum ſententiarum lib. 4.

Sermones diuerſarum rerum lib. 1. qui aſſeruatur Romæ in bibliotheca Canonicorum S. Petri.

Quæſtiones de Prædicamentis in Diuinis lib. 1. Et

Quodlibeta quatuor Pariſijs diſputata lib. 1. qui in bibliothecis

thecis Ordinis Romæ præſertim & Mediolani cuſtodiuntur. Multos alios libros elucubrauit, quos poſt eius obitum plerique ſurati ſunt, ſibique ipſis tribuerunt. Circa hæc tempora permiſſum fuit à Pariſienſi epiſcopo ex conſenſu theologorum Pariſienſium, vt libere poſſent quotquot voluerant diſputare & opinari ſuper certis articulis aduerſus Thomam collectis, vt narrat Ioannes Baconus lib. 3. ſent. diſtin. 29. publiceq. impugnabantur à multis, præſertim ab Henrico de Gandauo, qui teſtante Trittemio tantæ opinionis & auctoritatis in Gymnaſio Pariſiorum extitit, vt Doctor ſolemnis per vniuerſum Chriſtianum orbem vocatus ſit. Aduerſus quem & Iacobum Viterbiẽſem ſcripſerunt poſt in ijs in quibus impugnabant S. Thomam, Bernardus Claramontenſis epiſcopus, Robertus Ortford, & Guilhelmus Maſſet, Anglici, Dominicani.

Monaſterium S. Auguſtini Valentiæ Hiſpaniæ vrbis, opera F. Franciſci Salelles Valentini conſtruitur.

IACOBVS ORTANVS P. G.

ANNO Chriſti 1308. Habita ſunt comitia Genuæ in Liguria feſto S. Auguſtini, in quibus Prior generalis electus eſt Iacobus Ortanus prouinciæ Romanæ.

Auguſtinus Nouellus vir & ſanctus & doctor, decimo poſtquam magiſtratu ſe abdicauerat anno, multis clarus miraculis in loco S. Leonardi prope ciuitatem Senarũ, quo ſe poſito magiſtratu contulerat, animam Deo reddidit. De quo Iacobus Bergomenſis in ſuis chronicis ait. Auguſtinus de Therma noſtri Ordinis Generalis prior, natione Siculus, olim vtriuſque iuris cõſultiſs. doctor, & integerrimus Theologus, hoc anno 1309. haud procul à Sena Ethruriæ vrbe, locello ſui Ordinis D. Leonardo dicato, multis clarus miraculis beato fine quieuit. Qui poſtmodum propter doctrinæ & ſanctitatis excellentiam, beatus Auguſtinus Nouellus nominari meruit. Hic primo cum iuriſcõſultus toto orbe nominatiſſimus haberetur, à Manfredo Siciliæ rege in ſuum præcipuum conſiliarium delectus fuit. Sed

poſtquam

poſtquam Manfredus ipſe à Carolo interfectus fuit, ſaluti ſuæ conſulere volens, Ordinem eremitarum D. Auguſtini in Inſula Sicilia loco quodam ſolitario ſtatim incognitus ingreſſus eſt. Quo in loco quantæ puritatis & humilitatis ac ſanctimoniæ omnibus exemplo fuerit, non facile explicare poſſumus. Quippe humilia quæcunque religionis exercitia ſummo ſtudio ſummoque feruore ſemper exercere curauit. Sed cum didiciſſet in Tuſcia loca adeſſe ſolitaria diuinæ contemplationi percommoda, à ſuperioribus habita licentia, ad S. Antonij de Ruſano locum profectus eſt. Eoque loci aliquandiu etiam maxima cum humilitate Deo deſeruiens, diuina diſpenſatione ad multorum vtilitatem, quis eſſet, cognitus eſt. Et in pænitentiarium ſummi Pontificis aſſumptus multa in veneratione ſtatim habitus eſt: vt quicquid difficultatis in curia occurreret, ad eum tamquam ad Apollinem omnes confluerent. Deinde in Generalem Ordinis aſſumptus, paulo poſt dignitatis impatiens, vtpote ſolitudinis humilitatiſque cultor, ante tempus congregato Neapoli Capitulo ſtatim officio renuntiauit. Senas deinde regreſſus, ad optatum ſuæ deuotionis locum ſe conferens, ibidem totam vitam ſuam exegit. Quo mortuo tanta cum veneratione ab omnibus habitus eſt, vt cum fratres eum ex more ſepulturæ tradere vellent, à Senenſi epiſcopo & vniuerſo populo prohibitum eſt, aſſerentes virum tantæ ſanctitatis inſignem, terra obrui non licere, ſed celebriori loco collocari. Quo in loco in hodiernum vſque diem maxima cum deuotione ſeruatur. Hæc Iacobus Philippus Bergomenſis.

Placuit & hoc loco ea omnia eiſdem verbis ponere, quæ Iordanus in libro qui inſcribitur Vitas fratrum enarrat, cum fuerit vicinior illis temporibus. Hic cum eſſet de nobili genere ortus, & vtriuſque iuris profeſſor celebris, & in curia domini Manfredi Siciliæ regis valde potens, & omnibus carus, & multis diuitijs & honoribus abundaret, debellato dicto Manfredo à Carolo, timore mortis latuit in Sicilia, in qua Deo diſponente incidit in ægritudinem validam. Cumque timeret ſe moriturum, petiuit à Deo ſpatium pænitentiæ, promittens ſe religionem

aliquam ingreſſurum ſtatim cum eſſet liberatus. Antea etiam viſus fuit ſemper petere protectionem diuinæ gratiæ. Nam licet in medio eorum qui vitam ducebāt impuram poſitus eſſet, immunis tamen permanſit diuina ſe protegente gratia ab iis vitijs quibus illud hominum genus implicabatur. Cum igitur conualuiſſet, diſpoſuit Ordinem Prædicatorum intrare. Et miſſis duobus de familia ſua præcepit ſibi aduocari Fratres Prædicatores. Sed illis euntibus obuiauerunt duo Fratres eremitæ S. Auguſtini, quos ad dominum ſuum domi manentem adducunt. Quos ille videns recepit eos ciuiliter, nec tamen propoſitū ſuū eis aperiens, dimiſit eos. Indignatus autem contra famulos miſſos, eo quod non adduxerunt fratres Prædicatores, iterum miſit eos deſignans eorum habitum & vocabulum. Qui euntes duos alios ex eiſdem eremitarum fratribus, eis obuios adduxerunt, quos ſimiliter vacuos dimiſit ire. Et amplius contra famulos indignatus eſt. Tertio eos ad locum fratrum Prædicatorum miſit: qui euntes Angelo duce non cognoſcentes locum vel fratres, iuerunt recto itinere ad locum fratrum eremitarum S. Auguſtini. Et aſſumpto Priore cum alio fratre duxerunt eum ad Dominum ſuum. Cognouit ergo ſe diuino nutu ad Ordinem fratrum eremitarum S. Auguſtini vocatum. Et diuinam bonitatem conſiderans, experiebatur in ſeipſo inſtinctum diuinum, & propoſitum ſuum illis fratribus patefecit. Itaque diuina vocatione ordinem fratrum eremitarum S. Auguſtini in inſula Sicilia ingreſſus, omnia prius ad vſum pauperum, & fratrum ſubuētionem relinquens, voluit vir Dei in ipſo ſuæ conuerſionis primordio humilitatis iacere fundamentum. Nam habitum ſanctæ religionis aſſumens, occultauit ſuæ ſcientiæ claritatem, generis nobilitatem, & prioris ſtatus ſublimitatem, ne quis ex aliquo prædictorum eum conſiderans veneraretur. Et ne ex hoc in cor eius aliqua ſuperbia irrumpere poſſet, factus eſt inter fratres ſtultus, vt à Deo inſtrueretur: factus eſt pauper, vt diuitiis cæleſtibus ditaretur: factus eſt ignotus hominibus, vt à Deo cognoſceretur: factus eſt vilis mundo, vt apud Deum exaltaretur. Conuerſabatur enim inter fratres cunctis vilior & deſpectior,

ſciens ſe tanto maioris meriti eſſe apud Deum, quanto amore eius magis deſpectus in mundo eſſet apud homines. Iactantia & verbum aliquod prioris ſtatus numquam ex ore eius audiebatur. Quæſtas, & humiliora ſeruitia domus, & quæcunque viliora incognitus manens, deuotione & humilitate magna adimpleuit. In ipſa vero ſua humilitate gaudens plorabat, quòd tantum diſtulerat ſuam cõuerſionem ad Deum. Liqueſiebat anima eius amore ſupernæ patriæ, pro cuius amore omnia præſentia pro nihilo reputabat. Poſtquam autem vir Dei in illa inſula Sicilia aliquanto tempore fuiſſet cum fratribus in magna humilitate conuerſatus, contigit quoſdam fratres de Senis ex obedientia ordinis ad conuentum eiuſdem Inſulæ venire, a quibus cum interrogaſſet vir Dei de locis prouinciæ Senenſis, & didiciſſet, q̀ ibidem eſſent loca eremitica ab hominum habitatione ſemota, & Deo vacandum plurimum apta, obtenta licentia a ſuperiore ſuo ad Senenſem prouinciam venit, paucis & vilibus pannis indutus, & fratribus illius prouinciæ penitus ignotus. Poſitus in quodam eremitorio fuit S. Barbaræ, quod non longe diſtabat à caſtro de ſancta Flora, vbi ſoli Deo vacabat, tantaque dulcedine deuotionis cor eius adfluebat, ut plerũque videretur beatorum agminibus intereſſe, & beatæ quietis præmium deguſtare. Quia vero non cognoſcebatur qualis & quantus eſſet, imponebantur ei humilia ſeruitia domus, quæ ipſe magna humilitate & alacritate cordis libenter adimplebat. Faciebat quæſtas, purgabat domum, paropſides, & alia domus vtenſilia abluebat. Fratres autem, eius ſtatum conſiderantes, & ſanctam conuerſationem, ac verborum ædificationem, quæ nonnumquã quaſi cum quadam ſimplicitate ex eius ore procedebant, libenter eũ audiebant. Erat autem ibidem tunc Prior quidam frater de Senis, vocatus Frater Bonus, vir ſatis venerabilis & prudẽs, qui conſiderans eius bonitatem & conſilia ſaluberrima, eum multũ diligebat, delectabaturq. de eius humilitate, morum grauitate, & eloquiorum ſuorum ſuauitate. Cum ergo iſte F. Bonus à conuentu S. Barbaræ ad locum S. Antonij per obedientiam ordinis transferreretur, ipſum fratrem Auguſtinum ſecum duxit, quem

etiam

etiam ſequenti anno factus Prior Roſiæ ſecum retinuit. In quo loco ſeruus Dei omnibus ignotus, diuina diſpoſitione factus eſt cognitus hac occaſione. Cum enim fratres conuentus Roſiæ quandam quæſtionem haberent in curia, in qua fratres iam ne ſuccumberent,dubitarent,ac de hoc nimium triſtarentur, cũ ex hoc quandã poſſeſſionem perderent,de qua conuentus multum ſuſtentabatur: Voluit Deus lucernam,quæ diu ſub modio fuerat, ſuper cãdelabrum religionis ponere,vt luceret omnibus qui in ea erant. Videns igitur vir ſanctus fratrum animos perturbatos,& cognoſcens fratribus magnam iniuriam fieri,Procuratorem adijt, petens ſibi occulte dari neceſſaria ad ſcribendum. Procurator vero deridebat eum, ignorans quòd ſciret ſcribere vel legere. Ipſo tamen perſeuerante in petẽdo, porrexit ei chartam, calamum & atramentum. Qui ſecedens ad partem ſcripſit verba pauca, licet ſententia multa: quam ſcripturam tradidit Procuratori,aduerſario exhibendam: quod & factum eſt.Cum autem aduerſarius, dominus ſcilicet Iacobus de Pagliareſis, hanc ſcripturam legeret verborum breuitate, & ſententiæ virtute prægnantem,conſiderans ait: Diabolus, vel Angelus, vel dominus Matthæus,cum quo fui Bononiæ ſtudens, qui mortuus eſt in conflictu domini Manfredi regis, hanc ſcripturam condidit. Ipſe quippe ante ingreſſum ordinis Matthæus vocabatur, ſed in ingreſſu ordinis accepit nomen Auguſtini: quia totaliter mundo nolebat eſſe cognitus. Et audiens a Procuratore quòd quidam frater ruſticus & ignarus eam ſcripſiſſet,ait: Non ita eſt. Et ſtatim accedens ad locum fratrum in Senis, accerſito Priore, & fratribus compluribus, interrogauit quis eſſet hic frater, & cuius patriæ, & qualiter acceſſerit huc. Et ex reſponſionibus fratrum cognitis ſuis conditionibus, ſtatim acceſſit Roſiã, & videns quem mortuum exiſtimauerat, admirans eius humilitatem, ruit in amplexus,& oſculum eius,lacrymas continere nõ valens. Cumque rogaret illum vir Dei, ne eum prodendo pacem ſuam perturbaret, ille nullatenus acquieſcens, ad fratres ait: Fratres vos habetis theſaurum occultum, hic eſt enim melior homo mundi: teneatis ergo eum vt decet: iam pro vobis

terminata eſt lis. Cœperunt poſt hæc fratres eum venerari, & ſibi reuerentiam exhibere. Sed vir Dei vera humilitate fundatus, honorem reſpuens, omnino ſicut prius manebat. Verum cum venerabilis pater Generalis frater Clemens de Auximo quodam tempore ad conuentum Senarum acceſſiſſet, audiens de perſona præclari viri fratris Auguſtini, qui in eodem eremitorio Roſiæ in magna humilitate degebat, ſtatum & conditionem ſuæ perſonæ quantum potuit occultando; nec tamen omnino latere potuit lucerna ſub modio poſita. Nam idem pater Generalis eum accerſitum in ſocium ſuum aſſumpſit, & ducens eum ſecum ad Curiam Rom. ipſum, licet inuitum, fecit presbyterum ordinari. Conuerſantes ijdem duo præclariſſimi patres ſimul, Conſtitutiones Ordinis diligenti ſtudio reuiderunt, diſtinguentes eas per capitula & rubricas: & addentes nihilominus aliqua, & nonnulla detrahentes, prout bono ſtatui ordinis congruere videbatur. Accidit autem quòd cum D. Nicolaus Papa IIII. petiuiſſet a Priori generali, ſcilicet fratre Cleméte, vnum fratrem idoneum pro confeſſore ſeu pœnitétiario in curia præſentari: & idem Prior generalis fratrem Auguſtinũ ignarum quid intenderetur, coram ſummo Pontifice ſimul cũ Cardinalibus in Conſiſtorio exiſtentibus adduceret: videntes Cardinales fratrem Auguſtinum deſpectum habitu, in facie auſterũ & rigidum, dixerũt Priori generali. Ex qua ſylua adduxiſti iſtũ fratrem ſyluestrem? Ductus eſt itaque frater Auguſtinus ad pedes ſummi Pontificis. Cumque Papa imponeret ei manus auctoritatem ſuam ſibi committens, ita accerrime plorare cœpit, vt Papa & Cardinales mirarentur. Inerat enim ei appetitus ad eremum redeundi, vt ſoli Deo, prout ſolitus erat, vacaret. Sũmus autem Pontifex & Cardinales cum cognouiſſent eius humilitatem, vitæ ſanctitatem, & ſcientiæ ipſius claritatem, pio eum venerabantur affectu. Et cum quãdoque eos iuſtitiæ zelo ſuccitus non ſolum obſecrando, ſed etiam increpando argueret, patientiſſime audiebant eum, Deum in ſuo famulo venerantes. Tanti enim zeli & ſaluberrimi conſilij fuit, ut putarentur è cœlo ſonuiſſe verba, quæ ſæpe ab ore eius prodibant. Quanquam autem

autem vir Dei ſic cogeretur manere corpore in curia ſummi Pontificis, animo tamen ſemper in eremo morabatur. Cum autem pœnitentiarius manſiſſet domini Papæ annis ferme duodecim, & Capitulum generale Ordinis Mediolani celebraretur, idem pater venerabilis in eodem Capitulo, licet abſens, ab omnibus de Capitulo in Generalem Priorem Ordinis concorditer eſt electus: quam electionem ipſe acceptare quamprimum renuit, donec per ſummum Pontificem, qui tunc erat Bonifacius Octauus, ad acceptandum compulſus fuit. Præfuit ergo ordini cum multa charitate & humilitate, iuſtitiæ zelo fulcitus, vtpote humilis in exhortando, ſeuerus in corripiendo, omnibus benignus, licet ſibi auſterus. Et quoniam grauiſſimum erat ei ſolitam vitam in eremo ac dulcedinem deuotionis relinquere, & curæ aliorum intendere, poſtquam duos annos in regimine Ordinis expleuerat, feſtinauit ſarcinam regiminis deponere, & ad eremitorium redire. Nam cum ex more ordinis Capitulũ Generale de triennio in triennium celebrari conſueuerit, ipſe tamẽ Capitulum generale Neapoli celebrandum per annum vnum anticipauit. In hoc itaque generali Capitulo officium Generalatus renunciare volens, nullus electorum ſuam reſignationem acceptare voluit, ſed ipſum in patrem & paſtorem retinere cõcorditer poſtulabant: ipſe vſque ad quartum diem inflexibiliter reſtitit, & nullatenus acceptauit. Demum cum nec per ſupplicationem totius Capituli, nec per preces domini regis Caroli ibidem præſentis, poſſet aliqualiter inflecti ad Generalatus officium ſuccumbẽdum, ex tunc fratres ſunt coacti eligere ſucceſſorem. Depoſito itaque honore officij ordinis idem pater, licet per dominum Bonifacium Octauum vocatus eſſet ut rediret ad curiam, ipſe tamen ex propoſito eius præſentiam declinauit. Sed ſtatim omnibus omiſſis ad deſideratam ſolitudinem rediit, & in quodam eremitorio quod in honore S. Leonardi conditũ fuerat Senatum diœceſeos cum paucis ſibi adiunctis fratribus ſe recepit, requieſcens ibi ad vmbram diuinæ contemplationis. Huic ſolitum ſemper erat comedere ſemel in die, quando etiã ſtetit in curia pœnitentiarius, & quando etiã fuit in officio Generalatus:

neralatus: ſemper cibis communibus vtebatur, niſi interdum ratione infirmitatis ſeu hoſpitalitatis aliis cibis eum vti oporteret. Semper tamen reficiebatur ſemel in die, ponderans panẽ quem comedebat, videlicet quindecim vncias omni die, in hoc non voluptati ſed neceſſitati corporis condeſcendẽs. Cum ergo poſt depoſitionem officij generalatus elegiſſet habitare in eremo, volens latere mundo, vt mente conuerſaretur in cœlo, nõ potuit tamen ibi latere quòd non manifeſtaretur, ſed venerunt vndique ad eum non ſolum fratres Ordinis pro ſpirituali exhortatione ab eo capeſcenda, ſed etiam & multi ſæculares homines famam ſanctitatis eius audientes de longinquo ad eum uenerunt, & veniebant quotidie vel ſæpe: quos ipſe verbo vitæ & ſanctitatis exemplo reficiebat. Nec erat aliquis tam deſolatus & afflictus, qui & Deum non veneraretur in eo: nam & quidã nobilis vir Dominus Præpoſitus de Salimbenis, cum ex morte matris tam eſſet afflictus vt quaſi eum tæderet viuere, amicorũ ſuorum auxilio ad eum acceſſit. Et audiens dulces exhortationes ſancti viri, amplius quàm credi poſſet admirans ait: Ego iam nollem matrem meam viuere, vt tantam conſolationem ab iſto viro minime recepiſſem: qui cum ferme per decem annos, poſtquam regimẽ Ordinis dimiſerat, in dicto eremitorio S. Leonardi ſtetiſſet, cum vellet eum Dominus à mundi exilio euocare, cœpit vltra modum conſuetum ſuæ infirmitatis moleſtias ſuſtinere. Qui uocem Dei ſe vocantis intelligens, pluribus fratribus indicauit, rogans vt ſuo obitui intereſſent. Ex quo manifeſtum eſt ſuam mortem in ſpiritu cognouiſſe. Perueniens autem ad ipſum vitæ ſuæ extremum, ita ſana mente & ſenſu permanſit, ac ſi nullam alterationem in corpore habuiſſet. Et dum adeſſent ſuo obitui fratres & nonnulli nobiles de Senis, patefiebat geſtibus ipſum ad æternas epulas inuitatum properare: ſicque aſtantibus fratribus & orantibus animam ſuam Deo reddidit. Claruit autem iſte venerabilis pater multis miraculis poſt mortem ſuam. Vnde dominus Epiſcopus Senarum venerandum corpus non permiſit in terra ſepeliri, ſed potius in quadam tumba decenti reponi illud fecit, & in eccleſia fratrum honorifice collocari.

collocari. Vbi etiam annis ſingulis in die depoſitionis ſuæ feſtum fit per commune ciuitatis ad laudem Dei,& ingem memoriam viri ſancti. Hæc Iordanus. Qui item narrat miracula quædam poſt mortem facta, videlicet: Quidam iuuenis de Maſſa, cum laboraret in quadam fouca,terra cecidit ſuper eum in tanta quantitate, quòd mortuus inde fuit extractus: Soror autem ſua videns fratrem mortuum, recommendauit ipſum B. Auguſtino, vouens quòd ſi eam contentam faceret de fratre ſuo, veniret ad monumētum eius pedibus diſcalciatis,& vnam imaginē pulchram,& magnam ſicut ipſe erat,offerret eidem. Facta itaq; oratione iuuenis oculos aperuit, & cibum ſumpſit. Steterat autem mortuus per diem & noctem, & precibus beati Auguſtini reſuſcitatus fuit. Item quædam puella cecidit in quandam foueam plenam aqua, & ſuffocata fuit. Pater autem eius & mater quærentes eam per vnam diem minime inuenerunt: ſed altera die reinuenta de fouea extrahentes vouerunt eam beato Auguſtino, & reſuſcitata reuixit. Item quidam de conuentu Senenſi dormiebat in agro ſuo, cui ſerpens quidam intrauit per os eius in corpus ſuum. Ille autem veniens Senas,nec aliquem medicū inueniens,qui eum à ſerpente ſciret liberare, fecit votum beato Auguſtino, & coram multis aſtantibus ſerpens ille per os patenter exiuit, nec ille in aliquo læſus fuit. Item quidam iuuenis de Senis paſſus fuit longam infirmitatem in parte inferiori, vt potè quia ruptus erat. In qua infirmitate cum ſtetiſſet per magnum tempus, votū fecit beato Auguſtino, & facta oratione liberatus eſt: & quia votum quod fecerat minime adimpleuit, infirmitas illa poſt modicum tempus rediit: cum interim per ſex menſes paſſus eſſet, iterum votum fecit, & adimpleuit;& continuo liberatus fuit. Hæc Iordanus.

ALEXANDER DE S. ELPIDIO P. G.

ANNO 1312. Comitia habita ſunt Viterbij pridie idus Maij: in quibus Iacobo Ortano defuncto Prior Generalis conſtituitur Alexander de ſancto Elpidio theologus prouinciæ

Picenæ,

Picenæ, qui præfuit annis quatuordecim.

Monaſterium Toletanum mutato ſitu, ample magnificeque extruitur, è quo poſtea emerſerunt theologi illuſtres, Alphonſus archiepiſcopus Hiſpalenſis, Iacobus Magnus, Dionyſius Vazquez, & Dionyſius archiepiſcopus Meſanenſis.

Petrus de Florentia, à loco Cameratenſi Senarum dioeceſi, vbi vitam beatam duxit, à Camerato cognominatus, multis clarus miraculis diſceſſit è vita, cui cibus de cœlo aliquando mittebatur, & cum ipſe ſolus officium diuinum perſolueret, à multis magna cum multitudine cantari audiebatur, qui & frequentiſſime futura prædicebat, & propterea ad eum complures tanquam diuinum vatem confluebant.

Anno domini 1315. quarto nonas Maij, habito conuentu Patauij, eidem Alexandro magiſtratus in aliud triennium prorogatus eſt.

Henricus de Vrimaria natione Alemanus, ſanctitate & doctrina inſignis. Hic (vt Iordanus refert) ab omni procul ocio verborumq. uanitate, numquam à ſtudio ſacrarum literarum & oratione ceſſabat, niſi fuiſſet aliqua in re vtiliter occupatus: illudque in ore frequenter habebat, quòd quando orabat, ipſe Deo loquebatur; quando ſtudebat, Deus ſibi loquebatur: cũ vero conſilium aut doctrinam impendebat, aut negotia aliqua diſponebat, ipſe de Deo & propter Deum loquebatur. Tantæ fuit item erga infirmos pietatis & humanitatis, vt præter viſitationes & conſolationes, quas crebro faciebat, eis quoque neceſſaria maxima charitate miniſtrabat, & cibum vel potum, quem infirmus perhorreſcebat, ipſe prior coram eo prægustabat, vt vel ſic infirmus audacius & libentius ſumeret quod ei miniſtrabatur. Quādam autem die cum quidam Ordinis Frater de lepra haberetur ſuſpectus, ac ob hoc alij ad eum accedere timebant, Henricus infirmum examinans (erat quippe in iudicijs medicinæ optime inſtructus) eumque immunem à tali infectione cõperiens, vt aliorum fratrum opinio tolleretur, eundem infirmũ apud ſe in menſa collocauit; & ſecum de eadem ſcutella comedere, & de eodem poculo bibere voluit, vt vel ſic minus abominabilis

nabilis redderetur. Hæc Iordanus. Ioannes vero Trittemius in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum, hæc de eodem enarrat. Henricus de Vrimaria Ordinis fratrum eremitarum S. Auguſtini, vir in ſcripturis ſanctis à pueritia ſtudioſiſſimus, & multũ eruditus, in philoſophia Ariſtotelea nulli ſuo tẽpore ſecundus, qui multi annis in gymnaſio Pariſienſi doctor egregius extitit, & celebri doctrina inſignis effulſit. Scripſit multa & præclara volumina, quorum circumferuntur,

Super libros Sententiarum, lib. 4.
Super Cantica canticorum, lib. 1.
De decem præceptis, lib. 1. Audi Iſrael.
Flores de collatione ſanctorum patrum, lib. 24. Quia multa prædicabilia.
De perfectione hominis, lib. 1.
De incarnatione verbi, lib. 1.
De exemptione, lib. 1.
Expoſitio Decretalis, Cum Marthæ, de celebratione miſſarum, lib. 1.
De quadruplici inſtinctu, lib. 1. Semen aliud cecidit in terram bonam. Tractatus hic extat Venetijs impreſſus 1498. cum libro de delicijs paradiſi Bartholomæi Rimbertini epiſcopi Coronenſis, ſed titulo alterius Henrici Ordinis fratrum Prædicatorum.
Super Orationem Dominicam, lib. 2.
Super Aue Maria, lib. 1.
De quatuor ſenſibus ſacræ ſcripturæ, lib. 1.
De quatuor virtutibus, lib. 1.
Manuale Sacerdotum, lib. 1.
De vitijs capitalibus, lib. 1.
De origine ordinis fratrum eremitarum S. Auguſtini.
Quodlibetta duo.
Sermones de tempore.
Sermones de Sanctis.
In libros Ethicorum Ariſtotelis copioſiſſima commentaria, Anibaldo Canonico Atrebatẽſi dicata. Hæc Bononiæ

niæ in bibliotheca noſtra S. Iacobi aſſeruantur. Additiones eius in libros ſententiarum cum Egidij Romani in eoſdem commentarijs.extant impreſſe Coloniæ 1513. Itidem ſermones de ſanctis vidi excuſos in Alemania in oppido Hogenau per Henricum Gran. 1513. titulo, Opus ſermonum exactiſſimorum de Sanctis, per excellentem ac vere ſeraphicum doctorem Henricum de Vrimaria Ordinis eremitarum D. Auguſtini, compilatum. Huic Henrico, vt idem Iordanus commemorat, cum beniginiſſimus Deus vellet dare requiē ſtatim poſt laborem, prius per biennium ante mortem grauibus eum renum & veſicæ doloribus, calculi quoque ac ſtranguriæ paſſionibus paterne caſtigauit. Quę omnia patientiſſime ac deuotiſſime tolerauit. Tandem vero ad cæleſtem patriam migraturus, cum ſacramenta Chriſtianæ religionis percepiſſet, confratribus ſuis vltimum vale dicens, oculis ad cælum erectis, hæc verba deuotione maxima pronunciauit: In manus tuas Pater Deus commendo ſpiritum meum: in manus tuas Filius Deus commendo ſpiritum meum: in manus tuas Spiritus ſancte Deus commendo ſpiritū meum. Quibus dictis ſanctā Deo reddidit animam valde ſenex. Qui multis in vita & morte claruit miraculis.

Anno Domini 1316. Egidius Romanus archiepiſcopus Biturigum, cum antea cariorem ſuum theſaurum fuiſſet bipertitus, vnamque partem, vaſa ſcilicet & ornamenta ad Dei cultum ſpectantia, eccleſijs Ordinis nempe Romanæ & Biturigenſi; alterā, ſcilicet libros omnes monaſterio Pariſienſi donaſſet, anno ætatis ſuæ ſexageſimo nono, vndecimo kalendas Ianuarij Auenione animam egit, cuius corpus Pariſios deportatum, ibidem in eccleſia Ordinis ſepultum fuit, vbi in circuitu monumenti extant eiuſmodi verba: Hic iacet aula morum, vitæ mundicia, archiphiloſophiæ Ariſtotelis perſpicaciſſimus commentator, clauis & doctor theologiæ, lux in lucem reducens dubia, frater Egidius de Roma ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini, archiepiſcopus Bituricenſis, qui obijt anno Domini 1316. die 22. menſis Decembris.

Egidij, qui (vt ex titulo librorum eius conijcitur) ciuis Romanus

manus Columnenſium genere natus eſt, & ob doctrinæ conſtantiam Fundatiſſimi cognomen adeptus, non tantum profecto librorum admiranda eſt multitudo, quantum acumen ingenij & tenaciſſimæ memoriæ donum, quòd in tam multis ſcriptis & ſermonibus in re nulla vnquam ſibi ipſi eſt aduerſatus: non enim tum hoc, tum illud, vt plerique faciunt, ſed idem ſemper aſſeuerauit. In ſoluendis quæſtionibus fundamenta habuit irrefragabilia: rerum exquiſitor diligentiſſimus: in dicendo ſingularis, & viuida quadam energia ita clarus, vt hic omnis humanæ & diuinæ ſapientiæ ex omnibus doctoribus theologis arcana ſolus dilucidaſſe videatur. In gratiam Bonifacij Papæ Octaui ob controuerſiam renunciationis Pontificatus Cæleſtini edidit.

De Renunciatione Papæ, lib. 1. Non ei placebit vecordia ſua. In gratiam Philippi primogeniti, & hæredis Philippi regis Francorum.

De Regimine principū lib. 3. Ex regia ac ſanctiſſima proſapia. Hoc libro omnē philoſophiā moralē cōplexus eſt.

Hexameron, ſiue de mundo ſex diebus condito, lib. 2. Quoniam de operibus ſex dierum intendimus librum.

Super Cantica Canticorū lectura, decem & nouem lectionibus diſtincta. Sonet vox tua.

Super epiſtolam Pauli ad Romanos lectura quinquaginta trium lectionum. Henoch placuit Deo.

Super Epiſtolas ad Corinthios lib. 2. extant Romæ in bibliotheca Vaticana. In omnes epiſtolas Pauli ſcripſiſſe tradit Ioannes Trittemius.

In Epiſtolas Canonicas incœpta commentaria citat Ambroſius Coranus.

In Euangelium Ioannis, lib. 2. vt refert idem Ambroſius.

In totum canonem Bibliæ, & ſufficientiam librorum ſacræ ſcripturæ, lib. 2.

In Boethium de philoſophica conſolatione expoſitio, extat Pariſijs in bibliotheca Ordinis.

De Laudibus diuinæ ſapientiæ, lib. 1. Inter multas & varias occupationes noſtras.

In illud canonicæ Ioannis, Omne quod eſt in mundo, &c. lib. 1. quem citant Ambroſius Coranus, & Iacobus Bergomenſis.

Contra expoſitionem Petri Ioannis de Narbona ſuper Apocalypſim, iubente Bonifacio Papa, lib. 1.

In Ius canonicum, De ſumma Trinitate & fide catholica, c. Firmiter, & c. Damnamus. & ſuper Decretalem, Cum Marthæ. de celebratione miſſarum, lib. 2.

De Eccleſiaſtica poteſtate lib. 3. vt referunt Ambroſius Coranus, Iacobus Bergomenſis, & Ioãnes Trittemius.

De Excellentia ſummi Pontificatus, liber notatus in Indice librorum, qui extabant Veronæ in bibliotecha Ordinis, quam conſtruxerat, librisque ornauerat Ioannes Euangeliſta Veronenſis, theologus inſignis.

Contra Exemptos, lib. 1. Auguſtinus 7. de ciuitate Dei, ait: Deus ſic adminiſtrauit.

De Gratiarum actione ad Bonifacium Octauum, lib. 1.

Defenſorium contra Impugnantes Thomam Aquinatem. Quare detraxiſti ſermo.

Contra hæreticos lib. quem Terrens fulmen appellauit.

De erroribus philoſophorum, lib. 1. quem etiam citat Dionyſius Carthuſ. in epiſt. ad Galat. cap. 2.

Quomodo reges & principes poſſunt poſſeſſiones ac bona regni peculiaria Eccleſijs elargiri, lib. 1. Vertebatur in dubium cum communiter.

De defectu & deuiatione malorum culpæ & peccatorũ à Verbo, lib. 1. Placuit nobisproponere.

De diuina influentia in Beatos, lib. 1. Dignatus eſt venerabilis pater.

De corpore Chriſti Theoremata quinquaginta. Quia inter cetera eccleſiæ ſacramenta. Liber hic neceſſarius ad recte intelligendum ſanctæ Euchariſtiæ ſacramentum, & ad clariorem ſolutionem multarum in philoſophia quæſtionum, quæ videntur hoc tam excellens ſacramentum moleſtare.

De Charactere, lib. 1. Occaſione cuiuſdam clerici minus.

De Prædeſtinatione, Præſcientia, Paradiſo, & Inferno, lib. 1. Poſt diſtinctionem.

De Prædeſtinatione lib. alium notat Trittemius. Nobili militi domino.

De Rationibus ſeminalibus, lib. 1. cuius meminit, circa fin. lect. 15. in epiſt. ad Rom.

De Peccato originali, lib. 1. Ego cum ſim puluis. In huius libri capitalibus verborum literis ſuum prodit nomen, quod eſt ipſis literis inuicem copulatis, EGIDIVS.

De diſtinctione articulorum fidei, lib. 1. Quæſiuiſtis de articulis fidei, vt aliqua.

Iſagoge ſiue introductio Chriſtianæ fidei ad Regem Armeniæ, iubente Bonifacio Papa, extat Romæ in bibliotheca Vaticana.

De arca Noe lib. 1. Quoniam in decretali.

De Gradibus formarum accidentalium, lib. 1. Dilecto ſibi in Chriſto.

De Intentionibus in medio, lib. 1. Vtrum lux ſit realiter in medio.

De differentia Ethicæ, Politicæ, & Rhetoricæ, ad fratrem Oliuerium Ordinis Prædicatorum.

De Medio Demonſtrationis, lib. 1. Quæritur quid ſit medium in potiſſima demonſtratione.

Quæſtiones ſeptem Pariſijs diſputatæ, De Reſurrectione mortuorum. Vtrũ ſit poſſibilis reſurrectio mortuorũ.

Quæſtiones tredecim De eſſe & eſſentia, ſeu De primo prĩcipio. Vtrũ ſit dare plura prĩcipia ſimpliciter prima.

Quæſtiones De menſura Angelorum. Quæſtio eſt de mẽſura angelorum, & primo.

Quæſtiones De Cognitione Angelorum. Vtrum angelus intelligat ſeipſum per eſſentiam ſuam.

Quæſtiones De Compoſitione angelorum. Vtrum angeli ſint compoſiti ex genere & differentia. Quarum etiam meminit quodl. 5. quæſt. 14. Argumẽto in contrarium.

Quæ-

Quæſtiones De Motu angelorum. Vtrum angeli moueant corpora ſuperiora. Quarum etiam meminit quæſt. 9. de menſura angelorum.

Quæſtiones De loco angelorum. Quæ vnà cum illis de Motu & Compoſitione angelorum, extant Bononiæ in bibliotheca noſtra s. Iacobi.

De Subiecto theologiæ, lib. 1. Quærendo & diſputando inueſtigare intendimus.

De Materia cæli contra Auerroim, lib. 1. Quæſtio eſt, vtrum in cælo ſit materia, vel ſit corpus ſimplex, vt poſuit Commentator.

De plurificatione Intellectus poſſibilis, lib. 1. Quia etiam ſunt nonnulli dubitantes.

De Gradibus formarum, lib. 3. Dixiſti domine Ieſu Chriſte Dei virtus.

De eſſe & eſſentia Theoremata vigintiduo. Omne eſſe vel eſt purum per ſe exiſtens.

Super librum De bona Fortuna comment. Quidam ordinauit in idem bonam fortunam felicitati.

Super librum De Cauſis, comment. Sereno animo ſerioſe compatiens.

De Formatione humani corporis in vtero matris, lib. 1. Quia ex cognitione principiorum in qualibet ſcientia.

In lib. Ariſt. de Phyſiognomia Commentarium, aſſeruatur in monaſterio s. Auguſtini in Sancto Geneſio oppido prouinciæ Picenæ.

In Artem veterem
In libros Priorum Ariſt. } comment. vt aſſerit Ambroſius Coranus.

In Topica Ariſtot. comment. citat Auguſtinus Nyphus Sueſſanus.

In libros Elenchorum Commentaria, ad requiſitionem Philippi filij Comitis Flandrenſis, ex illuſtri proſapia.

In libros Poſteriorum Ariſt. comment. præclariſſima, ad petitionem venerabilis viri ex Anglorum ſpectabili

proſa-

proſapia D. Stephani de Maulai. Philoſophus in 3. de anima volens oſtendere.

In libros Rhetoricorũ Ariſt. commmentaria. Quia qualis eſt vniſquiſque, talis.

Super octo libros Phyſicorum Ariſt. expoſitio. Naturalis ſcientia eſt aliqua ſcientiarum ſpeculatiuarum.

Super libros de Generatione & Corrupt. Ariſt. commẽt. cũ Quæſtionibus in eoſdẽ. Aĩa vt teſtatur Philoſophus.

Super libros Ariſt. De Anima, commentaria, ad petitionem D. Iacobi Rothomagenſis canonici, ex Romanorum ſpectabili & illuſtri familia.

In Parua naturalia Ariſt. commẽtaria ſcripſiſſe tradit Ambroſius Coranus.

In libros Ethicorum comment. vt narrant Iacobus Bergomenſis, & Ambroſius Coranus.

In lib. Oeconomicorum commentaria, vt tradit Ambroſius Coranus.

In libros Politicorum comment. vt narrat Iordanus de Saxonia in libro qui inſcribitur, Vitas fratrum.

In libros duodecim Metaphyſicorum egregia cõmẽtaria, citat Ambroſius Coranus.

In eoſdem lib. metaphyſ. Quæſtiones. Circa iſtam ſcientiam primo quæritur, vtrum metaphyſica ſit finis, vel beatitudo ipſius hominis.

In primum ſententiarum, lib. 1. Candor eſt enim lucis æternæ.

In Secundum ſententiarũ, lib. 2. petente Roberto Siciliæ Rege. Magnifico principi ſuo.

In Tertium ſententiarum, lib. 1. titulo, De Incarnatione verbi. Exiui à patre, & veni in mundum. Sed eius non extant niſi diſtinct. 11. quæ Romæ in bibliotheca Vaticana aſſeruantur cum multis alijs huius authoris manuſcriptis tractatibus, & voluminibus. Reliquæ vero quæ in hoc Tertio pertractari ſolent quæſtiones deſiderantur. Nam author ipſe aut negotijs præpeditus, aut morte præreptus, non potuit inchoatum librum abſoluere

ſoluere,niſi quæ hic deſunt ſtudioſorum incuria interciderint, vt non facile inueniantur. Sed vtcumque res ſe habeat, dolendum eſt profectò, ne hoc quidem opus habeatur integrum.

In Quartum Sententiarũ ſcripſiſſe enarrant Ioannes Trittemius & Iacobus Bergomenſis.

Quodlibetta ſex. Vt quæſtiones propoſitæ in noſtro.

Sermones ſolemnes ad Clerũ, citat Iordanus de Saxonia.

Sermones alios & Epiſtolas notat Ioannes Trittemius.

Oratio in die Coronationis Philippi regis. De qua re Paulus Aemilius in initio libri octaui de rebus geſtis Francorum, mentionem faciens, ita loquitur. Philippus Pulcher iam inde à prima adoleſcentia Egidium Romanum theologum obſeruarat, authorque fuerat, vt de regimine principum, monumenta quæ extant, conſcriberet, ederetque, eundem Lutetiam à Rhemenſibus ſacris regreſſus, quòd ſacræ ſcholæ vniuerſique Muſæi oratione nouos excipi reges ſolenne ſit, dicere iuſſit. Iſq; ita exorſus eſt. E templis,& quaſi è colloquio Dei optimi maximi venientes.

Compendium Theologiæ veritatis, quod Trittemius & Iacobus Bergomenſis notant, vidi Romæ in bibliotheca Achillis Statij Luſitani manuſcriptum,authore Alexãdro de Ales ordinis Minorum. In orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam commentarij; libellus item de Corpore Chriſti, ſunt Egidij titulo tenus: in quibus multa ſunt conſperſa & adducta,vt lectori viderentur ab Egidio editi.

Anno 1318. quarto nonas Iunij, Comitijs Arimini coactis, Alexander alio triennio Prior generalis confirmatur: ſtatuiturque vt in fine cuiuslibet Horæ precũ canonicarum dicatur Antiph. Salue regina miſericordiæ.

ANNO 1319. Ioannes 22. Pont.Max.Ordini eremitarum S.Auguſtini tria in Romana curia officia quæ coniunxerat, conceſſit. Hæc fuere, munus cuſtodiendi ſacrarij Pontificij, bibliothecæ Pontificiæ, & confeſſionis Pontificis pro tẽpore exiſtẽtis audiendæ. Primus qui his tribus officijs ab eodem Pontifice Auenione præfectus eſt, Ioannes Lemouix theologus, qui fuit

Bibliothecarius, Sacriſta, & Pœnitentiarius Romanorum Pontificum Ioannis xxij. Benedicti xij. & Clementis vj.

Anno 1321. ſeptimo idus Iunij, Tauriſi habito conuentu eidem Alexandro magiſtratus in aliud triennium prorogatur.

Anno 1323. Albertus Patauinus theologus, Egidij Romani alumnus, Pariſijs vbi libros ſacros ſumma diſcipulorum frequẽtia exponebat, annos quadraginta ſex natus animam egit, ibidemque in eccleſia S. Auguſtini ſepultus eſt. Is in diuinis ſcripturis à iuuentute ſua ſtudioſiſſimus & multum eruditus, ſcripſit multa præclara volumina, quibus ſe & præſentibus tunc vtilem, & poſteris memorabilem effecit. De quibus iſta feruntur,

In Geneſim, lib. 1.
In Exodum, lib. 1.
In Leuiticum, lib. 1.
In Numeros, lib. 1.
In Deuteronomium, lib. 1.
In quatuor Euangelia, lib. 4.
In Epiſtolas Pauli, lib. 14.
In Magiſtrum Sentet. lib. 4.
Serm. Dominic. lib. 1.
Serm. de tempore, lib. 1.
Serm. de Sanctis, lib. 1.
Serm. per Quadrageſimam, lib. 1.
Serm. ad Clerum, lib. 1.

Quæ omnia aſſeruantur Patauij manuſcripta. Propter eius doctrinæ præſtantiam, poſtea in Patauino prætorio ſuper fores ad Septemtrionalem plagam marmorea ſtatua, quæ ad hunc vſque diem extat, honoratus fuit, hoc elogio aureis literis inſculpto. Super ſtatuam. Alberto eremitarum patri ſingulariſſimo, vitæ continentiſſimæ, patria Patauino ſtudiorum alũna, & reipublicæ Chriſtianæ ſummo ſplendori. Sub ſtatua. Albertus liberalium artium, ac vrbis noſtræ ſplendor, in Ordine eremitarum regulam profeſſus, continentiſſimæ vitæ fuit: is claruit ingenio, ſub celeberrimo Egidio Romano eiuſdem Ordinis ſacris literis apprime imbutus, ſumpta Pariſijs infula magi-

ſtrali,tam clarus euaſit, vt Paulum Apoſtolum, Moyſem,Euangelia,ac librum Sententiarum expoſitione ſplendidiſſima reſerauerit: idemque ante omnes ſuæ ætatis viros facundiſſimus prædicator; immortali memoriæ hic optimo iure datur.

Ioannes Vuilton Anglus, iuuenis olim ſpectatæ indolis, per Anglorum Gymnaſia tam philoſophiæ quàm theologiæ operã dabat: & Pariſios perueniens,ibi multa in diuerſis ſcientijs expeditiſſime didicit, quæ & in cõmentariolos memoriæ ſuæ gratia lucido quodam ordine redegit. Cumque ſacræ Theologiæ effectus eſſet magiſter, lecturis atque concionibus formandis totus incubuit, & ſucceſſus in illis felices orbi commoſtrauit. Vnde captata occaſione ex eius non ſolum doctrina, verum etiã acute arguendi experientia,Ioannes Baconthorpius (quem Baconem Trittemius & alij cognominant) Carmelita, in primo & ſecundo Sentent.inſigniter ipſum collaudat,illius auctoritate in multis rationibus vſus. Compoſuit vero Pariſiis & in Anglia Vuiltonus,

Lecturam Sentent. lib. 4.

Sermones hyemales,lib. 1. Sicut in die honeſte.

Sermones per Quadrageſimam, lib. 1. Memor eſto vnde excideris.

Sermones æſtiuales,lib. 1. Quæ ſurſum ſunt quærite.

Sermones de Sanctis,lib. 1. Simili pœna afflictus eſt.

In Priora Ariſtotelis,lib. 2.

In Poſteriora Ariſtot. lib. 2.

In Ethica Ariſtot. lib. 10.

Determinationes in Theologia, lib. 1.

Quæſtiones & lecturas,lib. 1. Et alia, dum eſſet Oxonij lector publicus, vbi tandem deceſſit.

Anno 1324. 3. Nonas Iunij, Conuentus cogitur in Montepeſſulano ciuitate celeberrima in Narbonenſi Gallia, à veteribus nuncupata Agathopolis, vbi eidem Alexandro cura Ordinis continuata eſt.

Anno 1325. Alexander Prior generalis creatur Archiepiſcopus Rauennæ. Hic cum eſſet humanis & diuinis literis imbu-

tus,

tus, ſcripſit iubente Ioanne XXII. Pont. Max. opus duobus libris diſtinctum.

De iuriſdictione Imperij, & auctoritate Summi Pontificis. Extat Lugduni impreſſum per Claudium Giboleti an. 1498.

De Paupertate euangelica, lib. I.

De eccleſiaſtica vnitate, lib. I.

In libros Priorum Ariſt. comment.

In libros Topicorum Ariſtot. comment. Et alia multa: quæ Bononiæ in bibliotheca noſtri Ordinis aſſeruantur. Liber de poteſtate eccleſiaſtica ad Ioannem Papam, Romæ quoque cuſtoditur in bibliotheca Vaticana pulcherrimis characteribus manuſcriptus, & in monaſterio S. Auguſtini alia manu.

GVILELMVS CREMONENSIS P. G.

ANNO Chriſti 1326. Die 28. Februarij, congregatis Patribus Florentiæ, Alexandro ad epiſcopatum aſſumpto, ſubſtituunt Guilelmum Cremonenſem, theologum & iureconſultum celeberrimum, qui Ordini ſumma vigilantia præfuit annis decem & ſeptem. In his comitijs ſancitum fuit, vt diuina officia omnino iuxta ritum S. R. E. ſoluerentur.

Anno 1327. Die 20. Ianuarij, Ioannes xxij. Pont. Max. Fratribus Ordinis eremitarum S. Auguſtini, corpus beati Auguſtini in templo S. Petri Papienſi conditum, tradidit perpetuo cuſtodiendum: iuſſitque præterea, vt diuinum officium in eodem templo tam per eoſdem fratres, quàm per Canonicos ibidem conſiſtentes, in poſterum celebraretur: ſimulque inſtituit ob tanti patris reuerentiam, qualiter vtriq. in poſterum viuerent.

Anno 1328. Auguſtinus de Ancona, doctrina & vitæ integritate celeberrimus, regibuſque Neapolitanis Carolo & Roberto carus, Neapoli de hac vita deceſſit, ibidemque in templo S. Auguſtini ante maius altare ſepultus iacet. Multa hic ſcripſit volumina, quorum ſubſcripta circunferuntur. Ad Ioannem Papam xxij. opus non paruum,

De poteſtate eccleſiaſtica, lib. 1.

Super Sententias, lib. 4.

De Spiritusancto contra Græcos, lib. 1.

De cantico ſpirituali, ſiue de decem chordis, lib. 1.

De introitu terræ promiſſionis, lib. 1.

De cognitione & potentijs animæ, lib. 1.

De reſurrectione mortuorum theorematum, lib. 1. ad Reuerendiſs. D. Leonardum de Quercino Cardinalem.

Quodlibetta, quæ Pariſijs diſputauit, vt in epiſtolarum Pauli expoſitione circa finem ſecundæ ad Corinth. ipſemet de ſe fatetur.

In Ezechielem lib. 1. Et aſſeruãtur Florentiæ in bibliotheca noſtra Sanctiſpiritus cum plerisq. alijs huius auctoris libris & tractatibus.

In Matthæum, lib. 1.

In Marcum, lib. 1.

In Lucam, lib. 1.

In Ioannem, lib. 1.

Super euang. Miſſus eſt Angelus, tract. 4.

Super canticum Magnificat, tract. 1. In his tractatibus multa de ſacratiſſima diuini verbi incarnatione, & de beatæ Mariæ Virginis laudibus copioſe diſſeruit.

In Epiſtolas Pauli, lib. 14.

In Epiſtolas Canonicas, lib. 7.

In Actus Apoſtolorum, lib. 1.

In Apocalypſim, lib. 1.

Et ſuper Actus Apoſtolorum, Apocalypſim, & Epiſtolas Canonicas, duplicem fecit expoſitionem. Alteram, in qua antiquos ac ab eccleſia doctores approbatos, in eundem colligans & dirigens ſenſum, quam AVREVM vocauit opus. Alteram, qua ſua ſcientia libros præfatos expoſuit.

Sermones Dominicales ad Clerum, lib. 1.

Sermones de Sanctis ad Clerum, lib. 1.

Hi ſermonum libri Romæ extant in bibliotheca monaſterij S. Auguſtini.

Tabula ſeu Index ſuper Moralia ſancti Gregorij, cum alijs ſuis libris & tractatibus extant Mediolani in bibliotheca noſtra S. Marci.

In libros Priorum Ariſt. expoſitio & quæſtiones. Viro religioſo fratri Conrado Ord. eremit. S. Auguſt.

Super duodecim lib. Metaphyſicorum Ariſt. diffuſa & præclariſſima comment.

De genere & ſpecie, lib. 1.

Volumē inſigne ex ſcriptis S. Patris Auguſtini incœpit, quod Milleloquium prænotauit: ſed morte præuentus imperfectum reliquit, quod poſtea Bartholomæus de Vrbino theologus perfecit. Venetijs quoque nonnullos annos degit in S. Mariæ de Nazareth noſtri tunc ordinis loco, vbi librum ſuper Miſſus eſt Angelus, ad laudem Beatæ Virginis elaborauit & edidit. Omnia autem eius opera ciuium Anconitanorum ſumptibus ab archetypis tranſcripta, Romæ in bibliotheca Vaticana magnis & pulcherrimis voluminibus aſſeruantur. Bononiæ quoque in bibliotheca S. Dominici omnia fere Auguſtini Anconitani opera cuſtodiuntur.

Ioannes Rideuuall Anglus, dum humanioribus ſimul ac diuinis literis Oxonij ſtuderet, per omnem notitiam ad ſummum magiſterium vſque tam inſigniter creuit, vt fama paſſim egregia per totam Brittaniam celebraretur. Hinc neceſſe habuit libros ſcriptitare, quibus tamquam luculentiſſimis indicibus ſpecimen non vulgaris cognitionis palam ederet. Concinnauit igitur in auctores tam veteres quàm nouos, tā ſacros quàm profanos, prophetas, apoſtolos, doctores, rhetores ac poetas, Dauidem, Salomonem, Ioannem, Paulum, Auguſtinum, Fulgentium, Valerium, Ouidium, & ſimiles, elaboratos commentarios, qui & hoc ſuo ſequuntur ordine, ſcilicet,

Super Pſalterium, lib. 1.

In Cantica canticorum, lib. 1. Diligenti diſcretione cautū.

In Euangelium Ioannis, lib. 1.

In Epiſtolas Pauli, lib. 14.

In Auguſtinum de ciuitate Dei, lib. 22.

In My-

In Mythologicon Fulgentij, lib. 3. Intentio venerabilis viri.

In Valerium Maximum ad Rufinum, lib. 1. Loqui prohibeor,& tacere non.

In Ouidij Metamorphoſ. lib. 1. In huius expoſitionis initio multa.

De non ducenda vxore, lib. 1.

Sermones per annum, lib. 1.

Lecturas ſcripturarum, lib. 1. Et alia plura his ſimilia. Super Fulgentio tractat de virtutibus & vitijs ſub imaginibus Deorum & Dearum, quos olim coluit vana ſuperſtitio paganorum.

Anno 1329. ſexto Idus Nouemb. conuentu Pariſijs habito, eidem Guilelmo Cremonenſi officiũ prorogatur, ſtatuiturque, vt genua flectantur ad illud Symboli; Et homo factus eſt.

Vlricus à Lentzenburg dictus Scultetus Theologus creatur Epiſcopus Churenſis in Germania. Præfuit viginti tribus annis. Inueſtiuit feudis Martiſſeninij caſtri & Pincernarum officij Albertum ſeniorem Auſtriæ ducem anno 1337. in thermis Badenſibus. Emit Rietbergum caſtrum Tumiliaſcæ pro 1500. aureis à nobili viro de Landouo. Obijt an. Dom. 1355. apud Saruneтium, & in eccleſia Churenſi cathedrali ſepelitur.

Hermannus de Allis Germanus, ſacræ Theologiæ baccalaureus, vir ſanctiſſimæ conuerſationis, cum totum ſuum fere tempus orando conſumpſerit, doctrinam oratione potius eum dicitur acquiſiuiſſe, quàm ſtudio. Scripſit etiam pias quaſdam de Chriſti paſſione meditationes. De quo Iordanus Saxonius enarrat, quòd cum fere per annum longam ægritudinem multa patientia duxiſſet, die quo erat tranſiturus de hoc mundo, horas quas vocant canonicas recitauit vſque ad Nonam. Cum vero tempus ipſius Nonæ aduenisſet, perceptis prius Chriſtianæ religionis ſacramentis, petijt vt ſibi legeretur Paſſio domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundum Euangeliſtas. Cum perueniſſet autem qui legebat ad illud Marci (Ieſus autẽ emiſſa voce magna expirauit) ipſe quoq; animã ſuo ſtatim reddidit Saluatori.

Ioan-

Ioannes xxij. Pont. Max. cum de Nicolai de Tolentino, & Claræ de Montefalco ſanctitate, præcipuam haberet notitiam, eos in ſanctorum catalogo aſſociare vehementer optabat: ſed multis bellorum atque ſchiſmatum perturbationibus & turbinibus vexatus, ac etiam morte præuentus, id alio tempore ad maiorem fortaſſe eorũ laudẽ & honorem delatum eſt.

Anno 1332. Calẽdis Iunij, Comitia celebrata sũt Venetijs, vbi eidem Gulielmo magiſtratus in aliud triẽnium prorogatur, iuſſumq́ue fuit, vt conuentus omnes quandam pecuniam contraderent ad monaſterium S. Auguſtini Papiæ conſtruendum.

Hermannus de Schilditz, ſiue Scildis Theutonicus, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſiſſimus & valde peritus, ingenio præſtans,& nõ minus vita quàm eruditione & ſcientia clarus: edidit multa præclara volumina, quibus nomen ſuum ad poſteritatis notitiã cum ingenti laude & gloria tranſmiſit. E quibus ferũtur.

Super primo Sententiarum, lib. 1.
In Geneſim lectura, lib. 1.
Hexameron duplex, lib. 2.
In Cantica canticorum, lib. 1.
De materia Canticorum, lib. 1.
Super Oratione Dominica, lib. 2.
Super Aue Maria, lib. 1.
Breuiloquium, lib. 1.
De ſenſibus Sacræ ſcripturæ, lib. 1.
Expoſitio Miſſæ, lib. 1.
Manuale Sacerdotum, lib. 1.
De vitijs capitalibus, lib. 1.
Clauſtrum animæ, lib. 1.
De conceptione beatæ Mariæ, lib. 1.
De modo ſtudendi, lib. 1.
Introdutorium Iuris, lib. 1.
De vera & falſa amicitia, lib. 1.
De Horis Canonicis, lib. 1.
De quadraginta duabus manſionibus in forma concionum, lib. 1.

Contra

Contra ſectam Flagellatorum, lib. 1.
De comparatione Miſſæ contra magiſtrum Conradum, lib. 1.
De diuiſione philoſophiæ metro, lib. 1.
Super C. omnis vtriuſque ſexus, lib. 1.
Sermones varij, lib. 1.
Collationes prædicabiles, lib. 1.
Quæſtionum diuerſarum, lib. 1.
In Ethicam Ariſt. lib. 10.
In Rhetoricam Ariſt. lib. 3.

Alia inſuper multa edidit, quæ ad notitiam noſtrā non venerunt. Commentaria in Ethicorum libris ſunt adeo digna, vt inter commentatores omnes obtineant principatum.

Albertus de Saxonia theologus, cum eſſet in philoſophia Peripatetica, & Matheſi admodum eruditus, reliquit Commentaria ſuper tabulas Alphonſi regis ad iudicia Aſtronomiæ. Incipiunt: Tempus eſt menſura motus. Archetypum ſua manu conſcriptum anno domini 1331. aſſeruatur Bononiæ in bibliotheca S. Dominici. Scripſit item Quæſtiones in libros Ariſt. de Phyſico auditu, de Generatione & corruptione, & de Anima, quæ extant Bononiæ in bibliotheca noſtra S. Iacobi.

Anno 1335. pridie nonas Iunij, Conuētus coactus eſt Graſſæ in Prouincia, vbi idem Guilelmus in ſequens triennium confirmatur. In hoc Cœnobio, quod eſt (vt ex eius memorijs conſtat) omnium noſtri Ordinis vetuſtiſſimum, extat priuilegium quoddā Alexandri quarti, in quo fit mentio de viſione, qua beatum Auguſtinum vidit grandem quidem capite, ſed membris exilem.

Petrus Donatus de Aretio theologus & concionator egregius, edidit opus mire eruditum ſuper Euangelia, quæ à Die Cinerum vſque ad ſanctum Paſcha in eccleſia recitantur, Quadrageſimale nominatum. Concinnauit quoque Sermones funebres, in quibus multa & pie & docte de arte bene moriendi, ac de cæleſti vita pertractat. Quæ Romæ cuſtodiūtur manuſcripta in monaſterio S. Auguſtini.

Monaſterium S. Laurentij Placentiæ conſtruitur opera & diligentia F. Ioannis de Suzano Placentini.

Monaſterium Viennenſe amplum & magnificum, ab Ottone Primo Alberti Primi Ducis Auſtriæ de ſtirpe Habſburgenſi filio, incœptum legitur.

Monaſterium Spirenſe incendio miſere vaſtatum, & in cineres collapſum, inſtaurauit Gerhardus Spirenſis epiſcopus.

Anno 1336. die 20. Maij. Michael de Maſſa Hetruſcus, baccalaureus (vt ex eius ſepulchri inſcriptione conſpicitur) Pariſijs feliciter obijt. Hic fuit & humanis & diuinis literis eruditiſſimus, & concionator egregius. Lucubrauitque in libros Bibliæ commentaria pene innumera, e quibus feruntur, in Geneſim, in Leuiticum, in Eſaiam, in Ezechielem: in Euangelia ſecundum Matthæum, ſecundum Marcum, ſecundum Lucam, ſecundum Ioannem. Scripſit præterea Tractatus ſingulares, De Vita Chriſti, De Paſſione Domini, De Tribus virtutibus diuinis, De Quatuor virtutibus Cardinalibus, De Meritis & efficacia bonorum operum. Expoſuit quoque Primum Petri Lombardi Sententiarum librum. Quæ omnia vnà cum ſuis ſermonibus, alijsque tractatibus, Mediolani in bibliothecis Ordinis cuſtodiuntur.

Gerardus de Senis Egidij Romani imitator præcipuus, vir in ſcripturis ſanctis non mediocriter doctus, & in vtroque iure longa exercitatione peritus, cuius eruditionem Ioannes Andreas Bononienſis, contemporaneus, ſæpe commendat: ſcripſit nonnulla præclara opuſcula, quibus memoriam nominis ſui ad poſteros tranſmiſit. E quibus iſta feruntur potiora,

- Lectura in Primum Sententiarum, lib. 1.
- Lectura in Secundum Sententiarum, lib. 1.
- Lectura in Quartum Sententiarum, lib. 1.
- De Contractibus & Vſura, lib. 1.
- De Montibus Florentinorum, lib. 1.
- De Reſtitutione, lib. 1.
- Quæſtiones ad epiſcopos generaliter pertinentes, lib. 1. ad epiſcopum Senenſem.

N De

De Præſcriptionibus, lib. 1.

De Vſucapionibus, lib. 1.

Clementinam de hæreticis, de Begardorum erroribus & alia plura expoſuit. In Quæſtionibus ad epiſcopum Senenſem duo inter alia pertractat, ſcilicet, Vtrum bona pauperum ſoli epiſcopo dioeceſano liceat diſpenſare in quocunque caſu. Et, Vtrum eminente periculo ciuitatis, liceat epiſcopo dicta bona ſic diſpenſare, quòd conuertat in eius ſubſidium, ſi dicta bona requiruntur à rectore ciuitatis. Hæ quæſtiones extant Mediolani in bibliotheca noſtra S. Mariæ Coronatæ, cum multis alijs huius authoris libris & tractatibus. Moritur Senis baccalaureus, & mortuus ob eius ſingularem ſcientiam fuit ſolenniter Laureatus. Opuſculis de Vſuris, ceteriſque Contractibus, diuus Bernardinus conterraneus ſuus, in tractatu Reſtitutionum plurimũ vſus eſt.

Dionyſius de Burgo Sancti ſepulchri Hetruſcus, religioſus quidem venerandus & doctus, hac tempeſtate propter eius doctrinam, ac ipſius in omnem diſcendi & docendi artem promptitudinem, magno in pretio habitus eſt. Qui cum omnes Poetas, Hiſtoriographos, Oratoreſque ac Philoſophos diligenti ſtudio euoluiſſet, inter cetera ſuæ elucubrationis opera, commentarios perpulchros & elegantes reliquit,

Super Valerio Maximo.

Super libris Metamorphoſeos Ouidij.

Super operibus Virgilij.

Super tragædijs Senecæ.

In libros Politicorum Ariſtot.

In libros Rhetoricorum Ariſtot.

In Poeticam Ariſtot.

Fabulas omnes ad tam præcellentem tropologicum ſenſum reduxit, vt in admonendis populis nihil vehementius, nihil iucundius, nihil denique vtilius poſſet afferri. Edidit quoq; Poſtillam ſuper Epiſtolam Pauli ad Romanos, quæ Florentiæ extat in bibliotheca noſtra ſancti Spiritus. Neapoli vbi fuit Roberto regi acceptiſſimus, tandem obijt, & in eccleſia noſtra S.

Auguſtini

Auguſtini ſepultus iacet. Hunc magnis laudibus extollit Franciſcus Petrarcha, epiſtola ad eum miſſa metro, quæ incipit: Si nihil aut gelidi facies. Et epiſtola ad Robertum Siciliæ regem, de obitu Dionyſij. Pleraque huius authoris opera Mediolani in bibliotheca noſtra Sancti Marci cuſtodiuntur.

Dinaldutius Foroliuienſis, vir tam diuinis ſcripturis, quàm ſecularibus litteris eruditus, ſcripſit De Reſurrectione mortuorum inſigne volumen, Bartholomæo Capuano regis Siciliæ protoſcribæ dicatum. Incipit: Nolumus vos ignorare de dormientibus. Extat Florentiæ in bibliotheca fratrum ordinis Seruorum vnà cum alijs pleriſque opuſculis Egidij Romani, Auguſtini de Ancona, Petri de Brunquello, & aliorum noſtri Ordinis authorum. Scripſit quoque tractatum de Septem Sacramentis eccleſiæ. Item, Sermones ſuper Euangelia Dominicarum totius anni. Virgam virtutis tuæ. Sermones ſuper Epiſtolas Dominicarum, totius anni. Fili ſuſcipe ſententiam patris tui. Sermones Quadrageſimales ſuper Epiſtolas & Euangelia. Sermones de Feſtis totius anni. Corde creditur ad iuſtitiam. Sermones ad clerum, vt habetur ſermone in Euangelio, Ille arguet mundum de peccato, in Dominica quarta poſt Paſcha. Hæc oĩa aſſeruantur Bononiæ in bibliotheca noſtra S. Iacobi.

Anno 1338. Comitia noſtra coacta fuere Senis die vltima Maij, in quibus idem Gulielmus alio triennio Prior generalis confirmatus eſt, & inter alia ſtatutum fuit, vt quinta die menſis Iunij celebraretur feſtum Reunionis, quando ſcilicet conceſſum nobis fuit corpus beati Auguſtini. De hac Reunione meminit Iordanus de Saxonia in libro quem inſcripſit Vitas fratrũ, huiusmodi verbis: Quoniam autem non ſatis eſſet, vnita membra inter ſe, niſi forent & eſſent capiti ſuo counita, hoc attendens nouiſſimis temporibus Sedes apoſtolica, membra huius ſacræ Religionis inter ſe primitus diſiuncta, vt viſum eſt, vniuit: & poſtea nihilominus ipſa membra ſuo ſanctiſſimo capiti & corporaliter reuniuit. Cum enim olim inualeſcente Vuandalorum perfidia, ciuitate Hypponenſi capta, & deuaſtata loca ſacra, & præcipue locus ille in quo beatus Auguſtinus tunc ſexa

N 2 ginta

ginta duobus annis requieuerat, ritu idolatriæ profanaretur, & ducenti viginti epiſcopi de Africa in Sardiniam exiliarentur, ſacerdotes quoque & religioſi diſpergerentur: arte & ingenio fidelium diuino aſſiſtente præſidio actum eſt, vt corpus glorioſiſſimi doctoris Auguſtini ſimul cum epiſcopis Sardiniam trans fereretur, fratribus ſuis iam diſperſis. Sed cum idem corpus venerandiſſimum ibi per annos ducentos vigintiquatuor honorifice quieuiſſet. Sardinia quoque a Saracenis depopulata fuiſſet, corpus illud ſanctiſſimum induſtria & deuotione inclyti regis Luitprandi inde leuatum, & in Papiam translatum eſt. Vbi cum per annos fere ſexcentos requieuiſſet, tunc demum membra, ſcilicet, fratres ordinis noſtri ſuo capiti reunita ſunt. Quæ quidem Reunio taliter facta eſt. Tenente gubernaculum ordinis in officio Generalatus venerabili patre fratre Guilelmo de Cremona ſacræ Theologiæ eximio profeſſore, idem Pater ſicut erat vir prudens & prouidus, ac fideliſſimus zelator ſui ordinis. in primo anno ſui officij diuino inſtinctu pulſatus ĩter ſe cogitare cœpit, ſi quo modo eſſet poſſibile, vt corpus S. patris Auguſtini tanto tempore a ſuis filijs elongatum, Ordini donaret, vel potius redonaret. Sed cum hoc multum viſum ſuis, ſed inopinabile, immo potius impoſſibile, ipſe tamen diuino oraculo confortatus, apud Sedem apoſtolicam negotium fiducialiter inſtaurauit. Cumque nulla poſſibilitas admitteret, ac prece vel pretio, vel etiam apoſtolicæ poteſtatis plenitudine corpus illud ſanctiſſimũ de loco illo ĩ quo eſt, quouis modo transferri poſſet, ſapientis uſus conſilio ſupplicationem ſuam taliter formari fecit, vt non videretur petere corpus beati Auguſtini de loco illo tranferri & Ordini donari: ſed petijt ordinẽ ſuo patri & capiti in eodem in quo quieſcit loco copulari. Cum autem hoc negotium in Conſiſtorio coram ſanctiſſimo patre domino Ioanne Papa xxij. & toto collegio ſuorum Cardinalium ſolemniter propoſitum eſſet, iſtis exiſtentibus in tractatu negotij eiuſdem, declaratum fuit ibidem, qualiter Ordo iſte olim a beato Auguſtino originem ſumpſerit, & quomodo iſti fratres ipſius patris veri filij ſint. Inter has collationes,

domnus

domnus Papa illius nutu tactus qui ſpirat vbi vult, tanto feruore ad negotium eſt affectus, vt iam non iudex, ſed aduocatus & patronus negotij videretur. Diuerſis itaque tractatibus ſup eodẽ negotio inter domnum Papam & Cardinales habitis, tandem gratioſe concluſum eſt. Sicque idem ſummus pontifex in publico conſiſtorio de fratrum ſuorum conſilio ordinauit & ſtatuit, vt fratres Ordinis eremitarum S. Auguſtini iuxta eccleſiam monaſterij S. Petri in Cælo aureo Papiæ vbi ſacrũ corpus glorioſiſſimi doctoris Auguſtini eſt ſolemniter tumulatum, clauſtrum & officinas opportunas pro eorum conuentu conſtruere, eaſque inhabitare debeant: ita quòd eadem eccleſia S. Petri vtriuſque ordinis fratribus tam regulariũ quàm eremitarum ſit communis ad diuina in ea officia peragenda. Super quibus idem domnus Papa dedit ordini Priuilegium valde gratioſum & ſolemne. In quo inter cetera ſic ſcribit. Dignum arbitramur & congruum, vt vbi tanti doctoris & præſulis corpus tumulatum quieſcere dicitur, ibi vltra illud quod ſibi honoris & laudis ab vniuerſali exhibitur eccleſia, ſingulari quadam reuerentia a vobis & fratribus veſtri Ordinis, qui ſuper eiuſdem patris regula & ſancta obſeruatione degitis & militatis, quique diuinis inſiſtitis, laudibus vacatis, orationi intenditis, exhortationi inſudatis, ſtudio & animarum ſaluti propenſius vigilatis, ſpecialiter honoretur, quatenus inibi tanquam membra ſuo capiti, filij patri, magiſtro diſcipuli, duci milites, cohærentes Deo & ipſi Sancto, authoritate ſibi apoſtolica præcordialius iubiletis, vbi veſtri patris & ducis Auguſtini, noueritis reliquias fore ſepultas. Hæc ibi. Demum hac donatione à Sede apoſtolica expedita, reſtabat difficultas de nanciſcenda poſſeſſione, vt donatio ſuum ſortiretur effectum. & quidem licet in principio non modica reſiſtentia fuerit, demum tamen opitulatione illuſtriſſimi domini Ioannis regis Boemiæ tunc in Papia dominantis, fratres poſſeſſionem pacificam ſunt adepti. Hactenus Iordanus.

Simon Fidatus de Caſſia (quem Volaterranus Carſulanum vocat) vir numquam ſatis laudatus, maximo Religioni noſtræ

ornamento

ornamento fuit. Qui poſt multos in theologia & philoſophia cum maxima gloria labores, totum ſe ad contemplationis quietem traduxit, & tandem vt verus euangeliſtarum interpres, & Domini noſtri Ieſu Chriſti imitator egregius, omnia ipſius Saluatoris geſta in ordinem colligens, in quindecim ſubdiuiſit libros, quos DE GESTIS Chriſti Humani Generis Aſſertoris, ipſe prænotauit, & Thomæ Corſinio Florentino iuris vtriuſque conſultiſſimo, viroq; optimo dedicauit. Vulgo inſcribitur, Simonis de Caſſia opus inſigne ſuper totum Euangeliũ de Geſtis Saluatoris, lib. 15. Scripſit item, De Doctrina Chriſtiana, lib. 1. De Vita Chriſtiana ex ſententijs patrum, lib. 2. Conciofia coſa che Dio creaſſe l'huomo in anima & corpo. De Patientia, lib. 1. De Diſciplina ſpiritualium, ſuper verbis Pauli, Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus. De Speculo crucis, lib. 1. De Stultitijs imprudentium in bello ſpirituali, lib. 1. De Vita eremitica, lib. 1. De conflictu Chriſtiano, lib. 1. Expoſitionis Symboli, lib. 2. Dobbiamo ſapere che la ſantiſſima fede. Epiſtolarum ad diuerſos, lib. 1. Et alios tractatus & admonitiones tum latino, tum materno ſermone ad Florentinos, ad Bononienſes, ad Senenſes, & alias ciuitates deſtinatos. Hic Florentiæ, vbi quam maxime magno erat in pretio, ſpiritu prophetiæ floruit. Vbi etiam monaſterium S. Catherinæ noſtri Ordinis ſanctimonialium ad Montem S. Caij extra mœnia ciuitatis à ſolo ædificauit, nobiliſſi niſque matronis ac virginibus illud repleuit. Opus ſuper quatuor euangeliſtas, varijs iam characteribus multisq. in locis impreſſum, circumfertur. Obijt Florentiæ anno Domini 1378. Die 2. Februarij, ipſo die Purificationis beatæ Mariæ.

Simon de Cremona, vir diuinis ſcripturis eruditus, & liberalium artium non ignarus, ingenio præſtans, & clarus eloquio: in habendis vero ſermonibus ad populum multum egregius, quippe qui Venetijs multo tempore huic inſudauit negotio, vbi verbo & exemplo plurimos erudiuit. Scripſit ad inſtructionem ſimplicium concionatorum non ſpernenda opuſcula, de quibus extant infraſcripta. Ad Antonium germanum ſuum

presby-

presbyterum, Sermones feſtiui totius anni, lib. 1. Sermones ſuper euangelia dominicalia totius anni, lib. 1. Leuate capita. Sermones ſuper epiſtolas, lib. 1. Abijciamus opera tenebrarum. Qui ſermones adhuc aſſeruantur Romæ & Patauij in bibliothecis Ordinis. Edidit quoque Quæſtiones & expoſitiones Sententiarum. Item, Quæſtionem de ſanguine Chriſti, & de indulgētijs Portiunculæ. Obijt tandem Patauij, & in eccleſia Ordinis ſepultus eſt.

Ioannes Dencock Germanus Turingius, ingenio, & doctrina, ea præcipue quæ verſatur circa Dei & rerum diuinarum cōtemplationem, praſtantiſſimus, Pragæ præſertim in magno pretio habitus fuit, & ob quaſdam variarum poſitionum quæſtiones inibi diſputatas, plurimum commendatus. Scripſit ſuper ſententias lib. 4. Quæſtiones Pragæ diſputatas. Sermones de tempore. Sermones de Sanctis. Epiſtolas ad diuerſos. Et alia fortaſſis plura, quæ ad notitiam noſtram minime deuenerunt. Obijt. Pragæ, die 15. Iunij. 1352.

Anno domini 1341. Conuentus habitus eſt Toloſæ die 27. Maij, vbi idem Guilelmus in officium confirmatur, decerniturque vt fieret feſtum Conuerſionis S. Auguſtini, idque in calendario ſcriberetur die quinta Maij.

Ioannes Senenſis inter Ilices ſyluæ lacus Senenſis diœceſis, maxima ſanctitate & miraculis claret. Is Ordinem puer ingreſſus cum eſſet molliter educatus, omnia ei mouebat nauſeam: menſis ob delicatam naturam abſtinebat, nullum catinum, nullum poculum, nulla mantilia vmquam ſibi munda videbantur, vt niſi oua interim obtuliſſent, aut abeundum, aut certe obeundum fuiſſet. Cui cum quadam die fugam moliretur, exiretq. e ſeptis monaſterij, ecce ſeſe obuiam offert vir quidam ſpectatiſſima facie, forma auguſtiori quàm humana, qui ſub læta fronte quærit profectionis cauſam, & adhuc lætiorem ſe offerens redire hortatur. Deinde eum alloquens ait: Noli menſas pauperum aſpernere, nam & ipſe cum tua cauſa terras incolerem, humanis cibis (tametſi Deus) veſcebar, & ijs quidem vulgaribus, viliſſimisq. Mox ſe Saluatori ſimilem oſtēdit, qualem puer adorauerat

rauerat pictum. Adiecitque, trementi & pene exanimato puero: Quòd ſi cum accumbis ſalſamenta deſideras, feci ego ea tibi, atque attuli. Accipe iam, & plagam hanc (aperuit plagam, quæ veſte latebat) hanc, inquit, habe, & hic cibaria merge: hoc ſalſamenti genus delicate puer Apoſtolis prandia condiuit, hoc ſanctis amicis meis fecit grata eſſe ieiunia, hoc martyribus ferrum, ignes, mortes, dulces reddidit. Moxque tantum è vulnere lucis effulſit, vt puer ſemimortuus caderet. Surgens demum lacrymis pauoreque attonitus, redijt ad eos vnde fugerat, tantumque roboris ſuus cepit animus, vt nihil vmquam humilius, contemptibilius, abiectius, nihilque ſanctius, purius, ardentius viderit nemo.

Bernardus Oliuarius Valentinus, theologus Pariſienſis celeberrimus, & epiſcopus Darcucenſis, hoc ſeculo ſuæ ob doctrinæ præſtantiam ſummis laudibus effertur. Qui inter cetera ſcripſit in Magiſtrum Sentent. lib. 4. Super C. cum Marthæ, de celeb. miſſ. lib. 1. Quæſtiones quodlibettales, lib. 1. De diuinis officijs, lib. 1. Vincentius de Bandelis de Caſtro nouo, in quadam ſua de Conceptione Virginis diſputatione, adducens hunc auctorẽ in quæſtione penultima ſexti Quodlibeti, narrat ipſum aſſerere, quòd beata Virgo in ſui conceptione contraxit originale peccatum, ſed ab eodem fuit poſt infuſionem animæ ante natiuitatem per ſanctificationem mundatam.

Petrus Mainanus Mediolanenſis theologus & concionator egregius, compoſuit Sermones de temporibus, qui hodie aſſeruantur Mediolani in bibliotheca S. Marci, pulcherrimis characteribus manuſcripti.

Ioannes de Sulmona lector edidit commentarios in Apocalypſim Ioannis, & in Cantica Salomonis, Guilelmo Priori generali dicatos. Extant Ferrariæ in bibliotheca noſtra S. Andreæ.

Philippus Placentinus, vir vt multa ſanctitate præditus, multos etiam infirmos miraculoſe curauit, præſertim Guilelmum Priorem generalem, qui graui morbo correptus viuere deſiſtebat.

Anno 1343. Guilelmus Cremonenſis cum rexiſſet ordinem

annis

annis decem & ſeptem, ob doctrinam & animi virtutem à Clemente VI. Nouarienſis epiſcopus creatus eſt. Hic inter alia multa, caſtellum in prædijs epiſcopatus magna impenſa condidit; ædificiaque compluria vetuſtate collapſa non ſolum reſtituit, ſed & cultiora reddidit. Monaſteria Cremonenſe & Nouarienſe, impenſe & auxit & ditauit. Pleraq; etiam doctrinæ ſuæ monumenta reliquit. Nempe ex præcepto Ioannis XXII. Pontif. Max. de auctoritate apoſtolica lib. cuius titulus, Reprobatio ſex errorum. Præterea, Expoſitiones ſuper quatuor Euangelia. Commentaria ſuper quatuor libros Sententiarum. Orationes, & Sermones. Quæ omnia Cremonæ, Mediolani, Brixiæ in bibliothecis Ordinis cuſtodiuntur. Nouariæ tandem moritur, & Papiam eius corpus delatum, in eccleſia S. Auguſtini reconditum fuit. De hoc Guilelmo Iordanus de Saxonia in libro Vitas fratrum, ita enarrat: Venerabilis pater frater Guilelmus de Cremona Sacræ paginæ doctor famoſus, cum per annos circiter ſexdecim gubernaculum Ordinis laudabiliter tenuiſſet, & poſtmodum diuina prouidentia, & domini Clementis papæ Sexti prouiſione epiſcopus Nouarienſis factus eſſet, nolens propter epiſcopatum communionem fratrum ſuorum deſerere, duodecim fratres ſui Ordinis ſecum in domo epiſcopali ſemper habebat, quibus de victu & veſtitu copioſe prouidebat, cũ quibus ipſe in capella epiſcopali diuinum officium diurnum pariterque nocturnum, ſicut antea in Ordine conſueuerat, omni nocte ſurgens ad Matutinum, deuote cum nota perſoluebat. Et licet Pontificali præfulgeret honore, non minus tamen vtiliter & humiliter & affectuoſe ſe ad omnes fratres ſui ordinis tenuit, quàm prius. Nam præter fratres prædictos quotidianos ſuos commenſales, ſingulos fratres forenſes aduentantes in mẽſa ſua eſſe volebat. Præceperat enim Priori loci, vt nullum fratrem hoſpitem in conuentu comedere permitteret, ſed ad eum omnes & ſingulos deſtinaret. Studentibus pauperibus, & alijs egentibus fratribus multas pias ſubuentiones faciebat. Ad locũ quoque S. Auguſtini in Papia pecuniam in fabricam impendebat. Et ad capitula generalia vbi per ſe venire non potuit, præ-

ſentiam ſuam realem largiter exhibebat, oſtendens per hæc & alia multimoda pietatis opera, ſinceritatem ſui zeli, quam ſemper ad matrem ſuam ſanctam religionem habuerat. Extra cuius communionem, etiam exiſtens Pontifex, noluit remanere: nam eo defuncto, Papiæ in eccleſia patris noſtri Auguſtini, vbi iacet ſanctiſſimum corpus ipſius beati Auguſtini, & ipſe pater voluit ſepeliri: quod & factum eſt.

DIONYSIVS DE MVTINA P. G.

ANNO Chriſti 1343. Congregatis Patribus Mediolani, kalendis Maij ipſo die Aſcenſionis Domini, Priorem generalem declarant Dionyſium Mutinenſem theologum, qui præfuit annis duobus.

Petrus de Valle Roſiæ, Roſius cognominatus, inter Ilices ſylua lacus Senenſis diœceſis degit beatiſſimus. Is tanto fletu Crucifixum deflebat, vt nemo vnquam non lacrymantem viderit. Riſui, iociſque acerrimus aduerſarius ſemper extitit. Qui, ſi quis accuſaſſet triſtitiam, vti quidam per illud Apoſtoli obiecerunt, datorem à Deo hilarem adamari: reſpondebat, hilarem eſſe lacrymarum datorem, & mente, non oculis capeſcendam eſſe lætitiam; nec decere mãcipia illic vacare voluptati, vbi Dominus ſit affixus cruci. Proinde è Pſalmo illud frequentiſſime aſſuetus erat dicere, Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.

Bartholomæus de Vrbino Auguſtini Anconitani alumnus, ſuæque vrbis poſtea digniſſimus præſul, in publicis ſcholis Pariſijs præſertim Bononiæque verſatus, inter viros noſtri Ordinis eruditos clariſſimus effulſit. Qui etſi multa ediderit memoratu digna, illa in primis admiranda ſunt atque profecto ſtupenda, quibus tam diui patris Auguſtini mare, quàm Ambroſij ſupernatauit flumen. Vtriuſque enim doctoris ſingula dicta, magna plane diligentia in alphabetum redegit, & opus in vnũ collectum nominauit, Milleloquium Auguſtini, Milleloquiũ Ambroſij. Scripſit item opus aliud titulo, De bello ſpirituali. Præterea,

terea, cum tempore Ludouici quondam Bauariæ ducis, quidam contra eccleſiam Chriſtique Vicarium Ioannem XXII. inſurrexiſſent, qui falſis opinionibus veritatẽ occultare, vel potius deſtruere conarentur, aduerſus huiuſmodi opiniones edidit opuſculum, cuius titulus eſt: Tractatus contra errores, qui inuenti fuerunt tempore ducis Bauariæ. Incipit: Domine labia mea aperies, & os meum deteſtetur mendacium. Quod quidem opuſculum Romæ in archiuo Ordinis cuſtoditur. Redegit præterea in compendium, librum de Regimine Principum, ab Egidio Romano editum. Euãgelia quoque Quadrageſimæ egregie interpretatus eſt, & tractatum compoſuit De quatuor donis. De fratre Bartholomæo mentionem facit Ioannes Andreæ celeberrimus iureconſultus, & Decretalium expoſitor, vbi ait: Auguſtini epiſtolam ſolicitudine non parua diu quæſitam cum inuenire non poſſem, nouiſſime vir deuotione ſincerus & feruidus charitate, grandis ſcientia, nec minor facũdia frater Bartholomæus de Vrbino ordinis eremitarum, qui Auguſtinianũ compoſuit, per quod dictorum Auguſtini cupidos in ſingulis materijs copioſos effecit, mihi epiſtolam illam ſibi notam exhibuit, in quo me lætificauit. Hæc ille. Milleloquium Ambroſij compilauit, dum eſſet epiſcopus Vrbini, iubente Clemente Sexto Pont. Max. à quo fuerat epiſcopus inſtitutus. Milleloquium Auguſtini, & Milleloquium Ambroſij fuerunt his noſtris temporibus Pariſijs excuſæ, maxima eorum, qui ſacris literis delectantur, vtilitate.

Alphonſus Vargas de Toleto, primo epiſcopus Vſſamanus, deinde Archiepiſcopus Hiſpalenſis, his temporibus Pariſijs, vbi magno auditorum plauſu cum philoſophiam tum theologiam prope decẽ annis profeſſus eſt, maxime inſignis habetur. Is edidit commentaria in Primum Sententiarum, & in libros Ariſtotelis de Anima, multa eruditione referta Venetijs, & alibi impreſſa. Deceſſit Hiſpali, anno ſalutis 1359. die 13. Octobris, ſepultus in ſua eccleſia.

Ioannes Gooduuyck Anglus, ſacræ theologiæ doctor, & prudentia ſingulari & grauitate inſignis, his ſimiliter temporibus

in magna celebritate apud ſuos inſulares viuit.Is(vt narrat Thomas Colbius) in Nordouolgiæ comitatu natus, primis adoleſcentiæ ſuæ annis cœnobitæ vitæ præcepta in Limnenſi Auguſtinianorum loco ſingularitate quadam obſeruauit. Iactis vero eius inſtituti fundamentis, Cantabrigiam primo,Oxonium poſtea, diſcendi ardore flagrans, petijt, ubi intra pauculos annos doctrinæ inſignibus donatus,honorem ſummum meruit. Vnde poſt concertationes aliquot, atque prælectiones illic publicas celebratus, ac Prouincialis demum Angliæ Hiberniæq. præſes effectus,coram rege atque aliis regni proceribus,non ſine magna ſui nominis fama,ſolemnes edidit conciones.Et in Bibliorũ libros ſcripſit commentarios plures,ac non triuiales, videlicet.

Lecturas in Geneſim, lib.1.
Lecturas in Pſalmoś, lib. 1.
Commentarios in Danielem, lib.1.
De hebdomadis Danielis, lib. 1.
In quædam D. Pauli dicta, lib. 1.
Quæſtiones diſputatæ,lib. 1.
Sermones per annum, lib.1. Et quædam alia. Limnæ tandem obijt.

Bernardus,quem Angioleriorum gentem illuſtraſſe opinor, in eremitarum D. Auguſtini familia Florentina ita profecit, vt tanquam virtutum exemplar a cunctis viris ſui temporis coleretur. Non enim erat ſolum vitæ integritate, ſed etiam diuinarum literarum eruditione præclarus. Quam ob cauſam ne turpi ocio vitam ageret, non ſatis ſibi eſſe duxit publicis concionibus & priuatis ſermonibus in lege Domini populos erudire, ſed vtiliſſimum omnibus librum cõpoſuit, cuius inſcriptio eſt: Speculũ charitatis incipit. Nihil dignius quàm vt creator ametur à creatura.Reperitur autem Florentiæ in bibliotheca noſtra Sanctiſpiritus.

THOMAS DE ARGENTINA P. G.

ANNO Chriſti 1345. Pariſijs quinto idus Iulii conuentu habito, Prior Generalis Dionyſio defuncto ſubſtituitur

tuitur Thomas de Argentina theologus eximius: & ob Vuicleuiſtas, & eorum aſſeclas præceptum fuit a patribus, quòd nullus doctrinas varias & peregrinas ſequeretur, ſeu doceret publice vel priuatè; ſed eas tantum, quas canonicæ vel doctorum ab eccleſia approbatorum ſcripturæ confirmarent, ſub pœna priuationis omnium graduum: & vt quiſquis ſecus ac definitū fuiſſet ageret, perpetuò in religione eſſet infamis.

Anno 1346. Ioannes Lemouix pænitentiarius, Sacriſta, & Bibliothecarius Maximorum Pontificum deceſſit, in eius locū Raymundus Apamienſis theologus ſuffectus, qui primò epiſcopus fuit Foroliuienſis, deinde Apamiæ in Gallia Narbonenſi, quam ciuitatē eſſe iuſſerat Bonifacius Octauus Pont. Max. eodem quo aliæ in Aſia vrbes nomine.

Anno 1347. Clemens VI. Pont. Max. conceſſit ordini noſtro, & confirmauit priuilegium Bonifacij Octaui, ſcilicet, quòd perſonæ ordinis, Eccleſiæ, Oratoria, Domus, & omnia ſpectantia ad ordinem, prorſus eſſent exempta, & nullus (excepto Romano Pontifice) poſſet in nos & loca noſtra iuriſdictionem aliquā exercere. Addiditque, quòd neque poſſemus conueniri ratione delicti vel contractus, aut rei de qua agitur, reuocàndo conſtitutionem quandam Innocentij Quarti oppoſitum decernentis. Auenioni 14. kl. Auguſti, Pontificatus anno ſexto.

Ioannes Baſilienſis, vir tam in diuinis ſcripturis quàm in ſecularibus literis celeberrimæ eruditionis, ſcripſit inſigne opus in quatuor libros Sententiarum, quod in plurimis monaſteriorum noſtri ordinis bibliothecis aſſeruatur. Erat autem in Gallia & in omni Germania nomen eius celebre, non tantum propter eruditionem, quantum propter ſuæ vitæ integritatem: vnde & principes & eccleſiarum pontifices multum ex eius cōſilio pendebant. Moritur Baſileæ ſeptuagenarius, die 15. Octobris 1371.

Galfridus Grandefeldt Anglus, hoc ſeculo illuſtris habetur. Is (vt narrat Thomas Colbius) Northamptonenſis cœnobij in mediterranea inſulæ regione Auguſtinianus; exhauſtis Canta-

brigiæ

brigiæ diuinis & humanis literis theologorũ albo aſcriptus fuit. Qui Romam veniens, factuſq. Cardinalis & Epiſcopi Tuſculani Capellanus, ſub Benedicto XII. Epiſcopus creatus, in Angliam remittitur. Eius quoque laudes non vulgares Cardinalis ille ad antiſtitem Vuintonienſem epiſtolam ſcribens, per illud tempus copioſe ferebat. Chartis ad poſterorum memoriam commiſit hic Galfridus, ſcilicet,

Sermones Dominicales, lib. 1.

Lecturas Theologiæ, lib. 1.

Determinationes, lib. 1.

Epiſtolæ ad diuerſos, lib. 1. Northamptonæ demum ſepultus fertur.

Ioannes Reatinus, iuuenis ſimplex, humilis & iucundus, circa hoc tempus obiens, edidit pene infinita miracula. Is multæ fuit erga omnes fratres dilectionis & charitatis, nec vnquam auditum eſt verbum de ore ſuo, nec viſum aliquod factum, quod a fraterna dilectione diſcreparet. Omnibus obſequens, infirmis præcipue & hoſpitibus, quibus omnem charitatem quam poterat hilariter impendebat. Sacerdotibus inſuper omnibus indifferenter ad Miſſam ſumma cum diligentia libentiſſime miniſtrabat. Is item ſolitus erat ingredi hortum conuentus, & dum exiret viſus eſt ſæpius lacrymas fudiſſe: & interrogatus cur fleret, reſpondebat: Quia video herbas, arbores, & arbuſta, volucres, & terram cum ſuis fructibus obedire Deo, & homines quibus pro obedientia promiſſa eſt vita æterna, tranſgredi præcepta creatoris ſui. Hæc gemo & defleo. Ad hunc Ioannem felicis memoriæ per aliquot dies ante obitum ſuum Philomela veniens, ſingulis diebus ante feneſtram ſuam dulciter cantabat. De qua re mirantibus fratribus & interrogantibus quid nam hoc eſſet? reſpondebat ſubridendo quaſi iocoſe, ſponſam ſuam eſſe inuitantem eum ad Paradiſum. Quadã autẽ die miniſtrante ipſo ad Miſſam, vidit ſuper altare lucem diuinã, & eadẽ die cœpit decumbere, magnaq. cũ deuotione ſpiritũ reddidit ei qui fecit illũ: & Reate oppido in medio ferè Italiæ poſito vbi deceſſit, per aliquot annos continuos ſigna fecit illuſtria & glorioſa.

Anno

Anno 1348. Papiæ ſexto idus Iunij coacta eſt generalis Synodus, in qua idem Thomas in ſequenes triennium Prior generalis confirmatus eſt: ſtatutumque fuit, quòd nullus noſtri Ordinis frater auderet tenere logicā Guilelmi Ockam, vel aliud aliquod eius opus, ſub excommunicationis pœna. Ockam is eſt, qui vnà cum Petro Piceno, quem Ludouicus Imp. Nicolaum quintum appellari fecerat, contra Ioannem vigeſimum ſecundum Fraticellorum hæreſim damnantem, egit & ſcripſit, & excommunicatus ad eundem Ludouicum æque excommunicatum fugiens, dixit: O Imperator defende me gladio, & ego defendam te verbo.

Monaſteria. Parpinianenſe, Barcinonenſe, & Salmerocenſe in Hiſpania: Brinonienſe, & Carcaſſonēſe in Gallia fundātur.

Lugubris & miſeranda peſtis orbē vniuerſum pene inuaſit, quæ in Aſia apud Indos incipiens, paſſimque in omnes prouincias irrepens, trium annorum ſpatio, vſque Britannos, vbiq. terrarū in oēs gentes deſæuit, & in hoc triennio ex fratribus noſtri Ordinis quinq; millia & quatuor ſupra octoaginta periere.

Ioānes de Fabriano philoſophus & theologus egregius, inter alias ſuas lucubrationes, Euangelia interpretatus, Platonem cum diuina ſcriptura ſemper concordauit. Super libros etiam Ethicorum & politicorum Ariſtotelis præclara edidit commentaria. Tandem Bononiæ deceſſit.

Matthæus Patauinus theologus Pariſiēſis, cū eſſet vir multæ doctrinæ ac eloquens, Auenione apud Clementem VI. magnæ habitus eſt auctoritatis. Reliquit is ſermones multos ac varios, qui Veronæ noſtra in bibliotheca aſſeruabantur, vt ex indice librorum qui ibi extabant facile cognoſci poteſt.

Gerardus Bergomenſis literis & moribus ornatiſſimus, hac tempeſtate floruit. Is Pariſijs doctoratus inſignia ſuſcepit, ibiq; cathedram theologicam tenens, Magiſtrum ſententiarum expoſuit, duoq; Quodlibetta terminauit. Poſtea ſub Clemēte Sexto creatus epiſcopus Sauonenſis, populo ſuo peſte laboranti, vt bonum decet paſtorem, magis prodeſſe quàm præeſſe ſtuduit. Et cœnobium diui Auguſtini Saone, quod extra vrbem erat,

ſua quaſi impēſa intra vrbē reduxit. Scripſit, cum eſſet quoq; Pontificij iuris peritia mire inſtructus,

In VI. Decretalium, de relig. dom. lib. 1.

Super libros Sententiarum, lib. 4.

In Cantica canticorum, lib. 1.

In Epiſtolam ad Hebræos, lib. 1.

Concordantias epiſtolarum Pauli cum Salomone.

Concordantias noui cum veteri teſtamento.

Quodlibeta duo, lib. 1. Et alia multa, quæ videre non merui. Moriens denique non ſine magno ſanctitatis nomine, Bergomi in eccleſia Ordinis iuxta altare maius ſepulchro à ſe ſtructo ſepelitur. Vbi (etiam Volaterrano teſte) beatorum honoribus colitur.

Anno 1351. Comitia Ordinis habita ſunt Baſileæ quarto idus Iunij, vbi eidem Thomæ magiſtratus in aliud trienniū prorogatus eſt.

Veronæ in monaſterio noſtro S. Euphemiæ ſchola publica (quam ſtudium generale vocant) inſtituitur, miſſis eò adoleſcētibus lectoribus & magiſtris. Eſt enī noſtri ordinis conſuetudo celeberrima, vt ſcholæ fratrum in cœnobijs inſignibus habeātur, quibus magiſtri morum & eruditionis præficiuntur ornatiſſimi, qui & diuinas & humanas literas doceant.

Monaſterium Maſſilienſe in vrbe conlocatur, cum antea fratres extra ciuium frequentiam inhabitaſſent.

Monaſterium Geneuenſe ciuium deuotionibus conſtruitur. Eſtremum oppidum Allobrogum eſt, proximumq; Heluetiorum finibus Geneua.

Monaſteria Nemauſenſe in Gallia, Tridentinum, Laudēſe, & Carmanioleuſe in Italia extruuntur.

Anno 1353. die 12. Septembris, Thomas de Arimino, qui pietate multum polluit, in monaſterio S. Ioannis ciuitatis Ariminenſis, vbi præpoſitus eleemoſynæ vrbis pauperes alebat, obijt beatiſſimus. De quo Iordanus de Saxonia narrat, quòd quadam vice capitulo prouinciali in conuentu Ariminenſi conſtituto, dum procuratores capituli pro fratrum multitudine de

panibus

panibus bonam prouidentiam feciſſent, iſte frater videns tantã copiam panum, compaſſione ad pauperes motus, magnam partem panum pauperibus diſtribuit. Cum autem procuratores viderent panes deficere, de quibus adhuc pluribus diebus fratres refecturos exiſtimauerant, indignatione promoti contra ipſum Thomam, interrogant quomodo tantus panum numerus defecerit. Ipſe vero ſimplicitate columbina neſciens excuſationem tunc aliam facere, in Domino confidens inducias ſibi dari petijt, dicens ſe velle de cunctis panibus optimam reddere rationem: & diuertens ad locum orationis ſuæ, cum lacrymis orauit ad Dominum, vt eum in tali anguſtia poſitum miſericorditer adiuuaret. Oratione completa rediens ad locum vbi erant panes, inuenit numeroſam panum multitudinem, & maiorem quàm prius, & tam recentes panes, ac ſi pridie de furno portati fuiſſent. Quod cernens vir Dei, lætus efficitur, laudans Deũ qui non derelinquit confidentes de ſe. Vocat ergo procuratores, & aſſignat eis panes in ſupereffluenti numero & valore. Qui obſtupefacti cognoſcentes miraculum, dederunt gloriam Deo. Hic frater multis miraculis claruit in vita propter compaſſionem, quam habuit ſemper ad pauperes Chriſti: & ſimiliter in morte, & poſt mortem, quæ in conuentu Ariminenſi habentur. Hæc Iordanus.

Anno 1354. Conuentus generalis coactus eſt Peruſij calendis Iunij, in quo idem Thomas prior generalis confirmatur, decretumque fuit vt Ordinis frater procurator in comitijs Ordinis veluti definitor in omnibus votum haberet.

Benedictus Icenus, ſeu Nordouolgius (ſunt qui cognominant Anglum) epiſcopus Cardicenſis, tam valebat diſertæ linguæ beneficio, ac varia ſcientiarum ſupellectile, vt multos ſui temporis theologos theologus & ipſe antecelleret. Nã & eius ad populum conciones tam arridebant Antonio eius temporis epiſcopo Nordouicenſi, vt illum præ alijs omnibus in ſuffraganeum, vel ſuæ potius functionis participem ac ſodalem ſpecialiter admiſerit. Reliquit ex ſuis laboribus,

Alphabetum Ariſt. lib. 1. Homo noſce tuam vitam.

Sermones per annum, lib. 1.
Epiſtolas hortatorias, lib. 1. Atque alia quædam. Nordouici tandem ſepultus.

Iacobus Buſſolarius Papienſis theologus & cõcionator egregius, & in rebus gerendis vir acer & induſtrius, Papiæ vrbanarum rerum varijs euentibus gubernator effectus, non ſine ſeueritate in populum viſus eſt exercuiſſe poteſtatem. Sed inde poſtea diſcedens, & ad Iſchiam maris Tyrrheni inſulã perueniens, reliquum temporis ſua in ſola ſalute conſumpſit, vbi tandem exceſſit.

Anno 1357. Thomas de Argentina Prior generalis Viennæ Auſtriæ deceſſit. Hic in multis publicis academijs, & præſertim Pariſina tunc omnium florentiſſima, diu auditor & præceptor fuit: qui etiam ſcripſit plura & optima, præſertim diuinũ opus quatuor tomis diſtinctum, quo maxime Germani vtuntur, ſuper Magiſtrum Sententiarum. Dedit abyſſus vocem ſuã. De quo ita Ambroſius Coranus tradit: Thomas de Argentina multa compoſuit, ſed ex alijs eius operibus, tam compendioſa & præclara ſuper Sententijs edidit commentaria, vt neſciatur, horum vtrum alterum alteri anteponendum ſit, an compendioſitas claritati, an claritas cõpendioſitati. Hoc opus primo fuit impreſſum Papiæ, deinde accuratius Venetijs apud Iordanum Zilettum anno Dom. 1564.

GREGORIVS DE ARIMINO P. G.

ANNO Chriſti 1357. Comitia Ordinis coacta ſunt Montispeſſulani in Narbonenſi Gallia, die 24. Maij, in quibus Gregorius Ariminenſis, cuius ſcripta paſſim lectitantur acutiſſima & eruditiſſima, Prior generalis electus eſt, qui præfuit anno vno.

Galfridus Hardeby, natione Anglus, doctor præcipuus, ac religionis zelator feruentiſſimus, his temporibus floruit. Is Thoma Colbio referente ex Leyceſtrienſe cœnobio frater, quæ ad philoſophiã & ſacras literas pertinent, Oxonij didicit, magnãq;

ibidem

ibidem ex magno labore famam ſibi comparauit. Eo etenim loci in ſublimen illam diuinæ theologiæ cognitionem peruenerat, vt vtriuſque teſtamenti libros publice interpretaretur. Ob quam rem in ſupremam eruditorum claſſem ab Oxonienſibus receptus eſt. Auxit hic honos eius famam, quemadmodum & magiſtratus prouincialis, quo publico patrum conſenſu ornatus fuit. Multum etiam ad famæ cumulum addidit Eduuardus Anglorum rex, eius nominis Tertius, cui non modo ab auriculari confeſſione, verum etiam à conſilijs fuit. Nihil tamen vſq; adeo hominem in altum extulit, quàm libri, quos ſacroſanctæ poſteritatis memoriæ dedicauit. Scripſit enim inter alia.

De vita euangelica, lib. 1. Vbi in fine duas quæſtiones ad noſtrum Ordinem pertinentes, tractat & determinat. Alteram, numquid Ordo eremitarum S. Auguſtini ſit per Romanam eccleſiam confirmatus. Secundam, numquid Beatus Auguſtinus dicti Ordinis eremitarum S. Auguſtini fuerit pater atque frater. Item ſcripſit,

De perfectione euangelicæ paupertatis, lib. 2. contra Armacanum, qui dicebat, Turpe eſſe Chriſtianis ſua ſponte mendicos eſſe. Præterea,

Quodlibetta Oxonienſia, lib. 1. Memorabilia philoſophorum ſtudia.

Ordinarias quæſtiones, lib. 1. Vtrum ad uniendam vtramque in Chriſto naturam.

Determinationes, lib. 1. Propter vniuerſalem ſcientiarum traditionem.

Lecturas in vetus Teſtamentum, lib. plures.

Lecturas in nouum Teſtamentum, lib. plures.

Poſtillas ſcripturarum, lib. 1.

Sermones de tempore, lib. 1.

Sermones de Sanctis, lib. 1. Et alia plura edidit. Londini demum in eccleſia Ordinis ſepultus iacet.

Iacobus Neapolitanus theologus & concionator egregius, ingenio acutus & vehemens, & ad diſputandas enodandaſque quæſtiones ſcripturarum ſatis idoneus, ſcripſit in facultate theo-

logica non contemenda opuſcula. De quibus ego reperi, Super primum & ſecundum Sententiarum. Quæſtiones diſputatas. Sermones quoſdam variarum materierum.

Anno 1358. Gregorius Prior generalis Viennæ Auſtriæ deceſſit, & in eodem tumulo, vbi Thomas ante ipſum Prior generalis conditus fuerat, ſepultus eſt. Hic Gregorius ſuo tempore tãquam fulgentiſſimus veſper tum optimorum morum ſplendore, tum doctrinæ copia, Pariſijs vbi eſt Gymnaſium princeps omniũ, ſuper libros ſententiarũ, quatuor (Iacobo Bergomenſi referente) volumina edidit, quorum quidem commentarijs & lecturis etiam nunc Pariſienſes præ ceteris doctoribus vt plurimum vtuntur. Ambroſius Coranus narrat, eum fuiſſe doctorẽ magnæ peritiæ, prudentiæ, & ſanctimoniæ, qui non modo viuens, ſed etiã mortuus Pariſienſia ſublimauit gymnaſia, & egregia ſcripſiſſe commentaria,

Super primum & ſecundum Sententiarum.
Super omnes D. Pauli epiſtolas.
Tractatum De Vſuris.
Tractatum De Intenſione & remiſſione formarum.
Tractatum De moribus Venetorum.
Tractatum De conditionibus Florentinorum.

Et alia compluria diuerſarum rerum. In lapide tumuli vbi eſt ſepultus, extat ſequens diſtichon:

Quiſquis ades, qui morte cares, ſta, perlege, plora.
Sum quod eris, quod es, ipſe fui, pro me precor ora.

MATTHAEVS DE ASCVLO P. G.

ANNO Chriſti 1358. Synodus celebrata eſt Patauij pridie nonas Septembris, in qua Matthæus Aſculanus theologus creatus eſt Prior generalis, qui præfuit annis decem.

Monaſterium Arelatenſe in Gallia Narbonenſi, vnum ex primoribus in Ordine, à S. Guilelmo poſtea inſtauratum, cum antea extra hominum frequentiam iacuiſſet, in vrbe recipitur.

Anno.

Anno 1362. Comitia habita ſunt Viennæ Auſtriæ, quarto nonas Iunij, in quibus idem Matthæus Aſculanus Prior generalis confirmatus eſt.

Anno 1365. Conuentus coactus eſt Senis calendis Iunij, in quo eidem Matthæo in ſequens triennium continuata eſt cura Ordinis.

Anno 1366. Poſt Raymundum, qui ſenio confectus quieti ſuæ indulgere voluit, conſtituitur pænitentiarius, ſacriſta, & bibliothecarius Romanorũ Pontificum Petrus Ammalius Lemouix Theologus: qui primum epiſcopus Senogallenſis creatus eſt, deinde Archiepiſcopus Tarentinus, & Patriarcha Gradenſis, demum Patriarcha Alexandrinus & adminiſtrator eccleſiæ Aquenſis in Vaſconia.

Aliphat Anglus, Gregorij Ariminenſis auditor & diſcipulus, edidit ſuper primum Sententiarum volumen egregium, quod extare ſolebat Pariſijs in bibliotheca Ordinis.

Rogerus Glacton ex Anglia mediteranea, Hungtyngtonenſi vero comitatu natus, noſtri Ordinis ætate maturiore inſtitutũ in eadem vrbe amplexus eſt. Doctarũ artium fuiſſe hunc amatorem ac ſedulum inueſtigatorem, ex his argumentis apparet. Fuit enim poſt multarum literarum ſtudia Cantabrigienſis academiæ ſcholaſticus doctor. Fuit Prouincialis in Anglia præſes, diuerſique generis doctrinæ opuſcula erudita congeſſit. Ex hoc tamen potiſſimum in literis excolere per eam ætatem viſus eſt, quod eius tam crebro Robertus Sarisburiẽſis epiſcopus in ſuis epiſtolis eruditis meminerit. Ad illum ſæpenumero ſcripſit epiſcopus de magnis eccleſiæ negotijs. Totidem & ille reſpondit codicillis acute, grauiter & docte, ad non modicam eius oblectationem. Vnde compoſuit tandem, eidemque dedicauit,

Epiſtolarum ſuarum, lib. 1.

Sermones per annum, lib. 1.

Lecturas, & Quæſtiones, lib. 2. Hungtyngtonæ demum ſepultus.

Guilelmus Flete (quem ab Anglia cognominant) his temporibus ſua doctrina & ſanctitate Ordinem noſtrum reddidit clariorem.

riorem. Is cum audiuiſſet in Italiam nouam in quibuſdam noſtri Ordinis cœnobijs fieri reformationem, ſui ſæculi in Anglia deprauatorum morum pertæſus, illuc ſtatim acceſſit, vbi in magna vitæ innocentia reliquam vitæ partem occupauit. Fuit certe eruditus ac pius, ſcripſitq. ad Fratres in Anglia epiſtolas tres Chriſtiana eruditione plenas. Ad Prouincialem eorum, epiſt. 1. Obſecro in Domino Ieſu quatenus. Ad Doctores Prouinciæ, epiſt. 1. Cum timore Dei ac reuerentia. Ad Fratres in communi, epiſt. 1. Ait apoſtolus ſpectaculum. Prædictiones ad Anglos, lib. 1. Epiſtolas ad diuerſos, lib. 1. Quòd adhuc alia præter hæc ediderit, non lego. Habuit donum prophetiæ. Obijt in Italia, inter Sanctos (etiam Sabellico teſte) relatus.

Iacobus de Cerqueto Vmber, ſacerdos multum religioſus, his temporibus è terrenis deceſſit. De quo legitur, quòd cum quadam die paratus eſſet ad Miſſam celebrandam, & ranæ quæ multæ erant in loco illo tantum obſtreperent, vt per eas in deuotione ſua non parū impediretur, dixit ei Prior, quaſi iocoſe, vt præciperet illas beſtias ſeruare ſilentium. Pergens Iacobus ad locum fluuialē vbi ranæ erant, facto ſigno crucis protulit hæc verba: In nomine domini noſtri Ieſu Chriſti præcipio vobis vt taceatis. Et tunc non eſt auditus clamor huiuſmodi ranarum amplius eo in loco. Peruſij corpus eius in eccleſia noſtra S. Auguſtini in quadam capſa reconditum religioſe cuſtoditur.

VGOLINVS VRBEVETANVS. P.G.

ANNO Chriſti MCCCLXVIII. Quinto calendas Iunij, Comitia habita ſunt Auenione in Gallia Narbonenſi, vbi Matthæo Aſculano defuncto Prior generalis ſuffectus eſt Vgolinus Malabranca Vrbeuetanus, præclariſſimus theologus, qui ordinem rexit annis tribus.

Radulphus Marham Anglus, ea in literis diligentia eſt vſus, vt ſuo Limnenſi in Nordouolgiæ comitatu cœnobio, Ordini honorē dediſſe potius quā accepiſſe videatur. Porrò in Cantabrigienſi liberalium artium gymnaſio doctorum aſcriptus nu-

mero,

mero taliter in ſua functione ſe geſſit, vt inde famam non mediocrē adeptus ſit. Aliud habeo in præſentiā nihil dicere, quàm quòd in omni doctrinarum genere per eos dies verſatus præcipue in hiſtorijs, ex multis earum auctoribus collegit magnū & excellens opus, a Mundi initio vſque ad ſua tēpora, in duobus voluminibus. In cuius primi libri exordientibus verborū literis ſuum prodit nomē, quod eſt ipſis literis in vicem copulatis ‘ Frater Radulphus Marham. Ipſique ſuo operi titulū præfixit, & vocauit Manipulum chronicorum lib. 7. Fratribus religionis animo tenētibus. Indices amplos in eiſdem chron. lib. 2. Aaron quando naſcitur. Conciones plures, lib. 1. Et alia nonnulla. In prædicto equidem Chronicorum Manipulo videre licet omnium rerum origines atque incrementa, regnorumq; initia & mutationes, gentium mores, & ſucceſſus varios.

Robertus Vuorſop Anglus, Epiſcopus, ac luculētus Theologus, hoc ſeculo floret. Is (vt narrat Ioannes Lelandus) in Eboracenſi comitatu natus, inque Auguſtinianorum Ticullenſis pagi cœnobio, quod non multum à Doncaſtrio diſtat, educatus fuit, & eius profeſſionis edoctus ſtatuta. Creſcentibus verò annis, ob vtriusque literaturæ excellentiam, humanæ ſcilicet & diuinæ, à ſuis acceptabatur. Et poſt theologici doctoratus inſigna, ad Epiſcopatus apicē euectus, animabus ſibi creditis continue prædicabat. Scripſit autem, Introitum Sententiarū, lib. 1. Scholaſticas quæſtiones lib. 1. Sermones vulgares, lib. 1.

Radclyf Anglus ſimiliter Epiſcopus, & doctor præcipuus. Is (præfato Lelando referente) in Leiceſtrienſi comitatu oriūdus, atque ex Auguſtinianorum fratrum æde eiuſdē vrbis cœnobita, doctor & epiſcopus non infimi nominis extitit. Ingenium habebat fœcundum & amplum, atque ad res magnas accommodatum. Compoſuit vero Lecturas ſcholaſticas, lib 1. Pro introitu Sententiarum lib. 1. Conciones ad vulgum, lib. 1. Claruit pro ſua tempeſtate Sermonum declamator in Anglia non parum æxtimatus.

Anno 1370. Vgolinus Prior generalis ab Vrbano Quinto

Pont.

Pont. Max. creatur epiſcopus Ariminenſis, & patriarcha Cõſtantinopolitanus. Hic Pariſijs vbi primam cathedram tenuit, maximo in pretio eſt habitus. Erat quippe (vt etiam Trittemius & Coranus narrant) diſputator acerrimus, ac in diuinis ſcripturis longo ſtudio exercitatus & ſatis eruditus, ingenio ſubtilis, moribus & vita ſpectabilis. In confutandis aliorum dictis parem habuit neminem. Neque apud quencunque diffidebat vtranque contradictionis partem defendere. Subtiliſſimus in ſententijs, breuiloquus, diſtinctus & formalis in dicendo, cõmunia relinquens ad ſingularia quædam & propria ſe extulit. Quod præclara illius teſtantur opuſcula: de quibus tantum reperi hucuſque infraſcripta, videlicet,

Commentaria ſuper quatuor Sententiarum. Exemplo veri ſummique magni. Extant Mediolani in bibliotheca noſtra S. Marci.

Quæſtiones ſuper libros Phyſicorum, lib. 8.

Quæſtiones ſuper Prædicamenta & Periermenias, lib. 2.

Quodlibetta multa, lib. 2.

De Idiomatum differentia, lib. 1.

De Deo trino & vno, lib. 1.

Sermones de tempore, lib. 1.

Sermones de Sanctis, lib. 1.

Commentaria in Boethium de Philoſophica conſolatione. Quæ omnia partim Bononiæ in Italia, partim Pariſijs in Gallia, in bibliothecis ordinis aſſeruantur. Tandem Vgolinus veniens è Gallià vbi curia Romanà reſidebat, Aquulæ migrauit è vita, nõ enim viuus ſuã ſe in patriã recipere potuit. Eius corpus trãſuectum eſt Vrbẽueterem, & in D. Auguſtini tẽplo reconditum.

GVIDO DE BELREGVARDO. P. G.

ANNO Chriſti 1371. Synodus ordinis coacta eſt Florentiæ octauo Calendas Iunij, vbi in Vgulini locum ſuffectus eſt Prior generalis Guido de Belreguardo Lombardus,

bardus theologus, & ſtatutũ fuit, vt feſtum Conuerſionis Beati Auguſtini, die quinta Maij, cum officio duplici celebraretur.

Monaſterium Ilerdenſe in comitatu Cataloniæ, & Algeziren ſe in regno Valentiæ extruuntur.

Monaſterium Sancti Petri Salmaticenſe ab Alphonſo epiſcopo & Capitulo donatum fuit conditione, vt S. Petrus perpetuo nominaretur.

Anno 1373. Gregorius XI. Pont. Max. ſtatuit & vult, quòd bona ad proprium vel communem commodum deputata, nemo extra ordinem ferat, & quòd nullus poſſit ad alios ordines & religioſos ſe transferre, niſi de licentia ſedis Apoſtolicæ. Dat. apud Villam nouam Auenionenſis diœceſis. 4. Nonas Maij, pont. an. quarto.

Thomas Asheburne Anglus, patria Staffordienſis, poſt longa diuerſarum literarum ſtudia, Oxonij theologorum aſcriptus numero, complura aduerſus Ioannem Vuicleuum congeſſit, nempe,

Contra Trialogum Vuicleui, lib. 1.
De identitate in Sacramento, lib. 1.
Extractiones ab Auguſtino, lib. 1.
Quæſtiones ordinarias, lib. 1.
Replicationum ſuarum, lib. 1.
Lecturas Bibliorum, lib. plures.
Sermones, lib. 1.

Num alia quàm iſta ſcripſerit, ignoratur. Claruit eo in loco, vbi damnatus eſt Vuicleuus.

Henricus Bedericus, vel alio cognomine de Bury dictus, Anglus, in Clarenſi monaſterio ad clauſtralis vitæ methodum perpetuo obſeruandam ſe votis aſtringens, hoc tempore literis & moribus claret. Huic, vt Colbius teſtatur, ab ineunte ætate animus ſemper ad literas erat, pro quibus obtinendis præter Anglorum gymnaſia celeberrima, exteras quoque viſitauit terras. Pariſijs enim Sorbonici ſtatim doctoratus inſignia, & in Anglia tum demum regimen Prouincialis præſes ſuſcepit. Ingenio acutiſſimus fuit, & ad habendas è ſuggeſto conciones paratiſſimus.

Q

tiſſimus. Reliquit ad nominis ſui memoriam inſigniorem,

Lecturam Sententiarum, lib. 4.

Quæſtiones theologiæ, lib. 1.

Sermones de Beata Virgine, lib. 1.

Sermones per annum, lib. 1.

Guilelmum Egumende Anglum theologũ, Piſſinenſem epiſcopum, ac Lincolnienſi Præſuli Henrico Belfortio à ſuffragijs, tum fama, tum doctrina celebrem fuiſſe, ſcribit in ſuis collectaneis Thomas Colbius, Qui inter cetera congeſſit,

Replicationes ſcholaſticas, lib. 1.

Sermones ad plebem, lib. 1.

Simon Baringuedus Toloſanus vir probus & doctus, hoc ipſo ſæculo in gymnaſio Pariſienſi titulos accipiens, in ſumma veneratione habitus eſt. Is nullum doctrinæ genus Chriſtianis neceſſariũ magis putauit, quàm id quod Ioannes diuinus Apoſtolus eccleſijs poſt Chriſtum propoſuerat. Illud ergo tamquã Chriſtianæ theologiæ compendium magno labore exponendum ſuſcepit, ac tandem edidit In Apocalypſim diuina commentaria. Scio tribulationem tuam. Num autem plura ſcripſerit, mihi adhuc non conſtat.

Thomas de Stureia natione Anglus, profeſſione theologica eruditus, inter ſcriptores noſtri Ordinis hac ætate illuſtris habitus eſt. Hic fuit inſignis literarum amator, omnes ad eas conſectandas hortabatur, inflammabat, trahebat, atteſtans in eis latere inæſtimabilem rerum omnium theſaurum, & eſſe potius animalia bruta quàm homines, qui illis ob negligentiam carerent. Cum autem multis ita ſuo labore profuiſſet, vt ſuorum eis quoque ſtudiorum fructus impertiret, nitide & docte compoſuit,

De Sacramentis, lib. 1, Inter opera noſtræ ſalutis.

Moralitates in Apocalypſim, lib. 1. Vidi Angelum Dei per medium cæli.

Exceptiones philoſophorum, lib. 1.

De vtroque ſæculo Prognoſticon, lib. 1.

Declamationes quaſdam, lib. 1.

An

An aliud quidquam ediderit, nihil pro comperto habeo. Hæc enim ſunt, quæ in huius ſcriptoris gratiam ex ſæpe citatis auctoribus deprompſi.

Bankinus Londinenſis, in eadem vrbe magnifica (quam Cornelius Tacitus vetuſtiſſimus ſcriptor, negotiatorũ copia atque commeatu maxime celebrem dicit) & natus & nutritus fuit. Londinum namque maritima ciuitas eſt, omnium nobiliſſima, in meridionali inſulæ Angliæ parte poſita, caput gentis, regia ſedes, opumque diues. In Auguſtinianorum æde illic etiam tum celebri Bankinus initiatus, tamdiu literis operam dedit, donec haberetur Oxonij ſupremæ claſſis magiſter. Hinc extitit percelebris concionator, ac ſcholaſticarum rerum diſputator acutus, & vehemens Vuicleuiſtarum inſectator: qui & ſcripſit,

Contra poſitiones Vuicleui, lib. 1.
Determinationes varias, lib. 1.
Sermones ad populum, lib. 1.

Anno 1374. Comitijs Coloniæ Agrippinæ coactis, duodecimo Calendas Iunij, idem Guido Prior generalis alio triennio confirmatur.

BONAVENTVRA DE PADVA P. G.

ANNO Chriſti 1377. Conuentus habitus eſt Veronæ, ſextodecimo Calendas Iunij, vbi Guidone defuncto, Prior generalis conſtituitur Bonauentura Peraginus de Padua theologus præſtãtiſſimus, qui præfuit annis octo.

Anno 1378. Petrus Ammalius Lemouix, Pænitentiarius, Sacriſta, & Bibliothecarius Romanorum Pontif. moritur Romæ, cui in illis tribus officijs ſucceſſit Petrus Apanienſis, qui deinde creatus fuit epiſcopus Montis Falerij in Hetruria.

Luiſius ſiue Ludouicus Marſilius Florentinus, omnibus diſciplinis tam ſacris quàm humanis imbutus, orator facundus, philoſophus & theologus ſingularis. Qui ob ſuas animi dotes tantam apud ciuitatem Florentinam ſibi gloriam comparauit, vt non ſolum ad eum viuentem præſtantiſſimi ciuitatis prima-

tes tamquam ad diuinum quoddam oraculum vndique confluerēt, ſuæque inſigni ſapientiæ ac prudentiæ in maximis Reipub. perturbationibus res magnas committere, oratoremve deſignare ad ampliſſimos principes non dubitarent: ſed etiam eum ipſum vita functum Patres publicis ſumptibus in cathedrali eccleſia humandum, atque elegantiſſimo ſepulchro cohoneſtandū inſtituerent. Plura ingenij ſui præclara opuſcula poſteris reliquit, quæ fere omnia ob temporis iniuriam periere. Hæc ſolum ad manus noſtras peruenere, quæ aſſeruantur Florentiæ in bibliotheca noſtra Sancti ſpiritus. Quæſtiones theologicæ. Vetus ac nouum Teſtamentum heroicis verſibus. Gloria tamen ipſius numquam interibit, cum grauiſſimos ſui nominis habeat laudatores, quorum præcipuus extat elegantiſſimus Franciſcus Petrarcha, qui in lib. 15. epiſt. ſenilium, affirmat ſæpe ſe in ſilentio, & poſtea cum amicis repetijſſe: Puer iſte ſi uixerit, aliquid magni erit. Quod quàm vere locutus ſit, teſtatur Pogius in quadam oratione pro Nicolao Nicolo habita, vbi inquit: Eius cellula ab egregijs adoleſcētibus, qui ſibi vitam eius & mores propoſuerant imitandos, iugiter frequentabatur. Ob id plurimos erudiuit, liberaliterque inſtituit, qui viri doctiſſimi euaſerunt. Sed emicuerūt inter alios præcipue Nicolaus Nicolus in omni diſciplinarum genere, præſertim in hiſtoria excellens, Ioannes Laurentij, Robertus Roſſus, qui rebus ceteris poſthabitis, nūquam à latere diſcedebant tanti viri. Obijt Florentiæ. Et cum viuens omnibus profuiſſet, publiceque conſuluiſſet commoditati, curauit etiam, vt poſt exactam ſanctiſſime vitam, laborū ſuorum fructus ad poſteros emanarent. Ob id ingentem librorum copiam, quos multis ex locis conquiſierat, bibliothecæ ſui Ordinis legauit, quam adhuc multis præſtantiſſimis codicibus ditauit Ioannes Boccacius. Ipſius oſſa recondita ſunt in cathedrali eccleſia Florentina, ad dexteram illius ampliſſimi templi, vbi adhuc imago conſpicitur, & hoc epitaphium ab omnibus legi poteſt. Florentina ciuitas ob ſingularem eloquentiam clariſſimi viri magni Luiſij de Marſilijs, ſepulchrum ei publico ſumptu faciendum ſtatuit.

Ioan-

Ioannes Euangeliſta Veronenſis literis & moribus ornatiſſimus hoc tempore floruit. Is parentibus honeſtis apud Iebetum agri Veronenſis oppidum natus, Veronæ vbi ingenuis diſciplinis operam dabat, monaſterium D. Euphemiæ, in quo vitam religioſam ageret, iuuenis delegit. Qui deinde Pariſios miſſus, ibidem doctoratus inſignia ſuſcepit, & Veronam reuerſus, præſesque prouincialis effectus, ita prudenter in omnibus ſe geſſit, vt eum omnes plurimum venerarentur & colerent. Scripſit in aliquot Pſalmos Dauid annotationes, & Sermones ad populũ. Bibliothecam inſignem ſuo in monaſterio condidit, eamque libris ornauit quamplurimis & raris.

Simon Bononienſis theologus, librum edidit, cuius titulus eſt, De Nouo mundo, in tractatus decem diuiſum, Ingerraimo Archiepiſcopo Capuano, & regni Siciliæ archicancellario dicatum, cuius initium eſt: Dixit qui ſedebat in throno, ecce noua, &c. Aſſeruatur Romæ in Archiuio Ordinis.

Bonſemblantes Patauinus, theologus inſignis, Bonauenturæ Prioris generalis frater vterinus, vir acutiſſimi ingenij & literaturæ, ſcripſit Iordano referente vtile opus pro ſtudentibus, & multos ſermones ad clerum, ac etiam diuerſas quæſtiones tam in philoſophia, quàm in theologia. Iuuenis, annum nondum quadrageſimum ſecundum ingreſſus, ex hac vita deceſſit. Et niſi tam cito eum mors eripuiſſet, maximam abſque dubio religioni comparaſſet gloriam, ſibique nomen immortale. Erat quippe ingentis ſpiritus & optimæ ſpei. Hæc Iordanus in ſæpe memorato libro Vitas fratrum. Extant Mediolani, & Patauij in bibliothecis Ordinis Bonſemblantis Lecturæ in primum, ſecundum, & tertium Sententiarum. Venetijs obijt religioſiſſime. Nam poſt oblationem ſacri myſterij, ſtatim, vt D. Hieronymus de Blæſilla ait, ſubita morte Dauidicos pſalmos anhelans, ſubtractus eſt. De quo tamquam viro, ſuo tempore multum ſingulari, Franciſcus Petrarcha epiſtolarum lib. 11. mentionem facit, vbi ad Bonauenturam Peraghinum eius fratrem ſcribens, ait: Qualem proh dolor virum, quod ſydus. Et paulo poſt. Ita vero me ille amet, cuius in amore felicitas vera eſt:

vt ego

vt ego viuentium fama forte aliquos, neminem ſibi vel inge-nio, vel eloquio, vel morum ſuauitate præferendum noui: quæ tanta illi inerat animæ, vt ab ipſius verbis & congreſſu numquã niſi lætior tranquilliorque diſceſſerim: neque mihi vmquam tam longa confabulatio ſecum fuit, quin cupidis auribus meis atque animo ſitienti breuiſſima videretur. Erant enim inter verba illius hominis faces quædam blandæ & lucidæ, præter communem morem eorum quos magiſtratus dicunt. Et aliquanto inferius ait: Magna ille dudum gloria patriæ, magnum Ordinis ſui decus, & quidem eximium fuit. Item paulo poſt de vtroque fratre exclamat: Felix Patauium, vbi geniti eſtis & nutriti. Nihil eſt enim, quod vnamquamque patriam tam felicem faciat, quàm ſuorum ciuium virtus & gloria. Hæc ille.

Thomas Eduuardſton Anglus Clarenſis monaſterij, poſt triuiales ſcientias, theologiæ ſcholaſticæ Oxonij nactus lauream, ex multifarijs & eiſdem ſpecioſis in concionandi functione donis, & ex Leonelli Clarentiæ ducis fauore, cui à confeſſionum ſecretis erat, cuiuſdam Archiepiſcopatus curam accepit. Inter ſui temporis ſcriptores hæc pauca protulit,

Determinationes theologiæ, lib. 1.
Sermones ſolemnes, lib. 1.
Lecturas ſcholaſticas, lib. 1.

Obijſſe fertur Eduuardſtonus anno ſalutis 1396. & 20. die Maij atque in Clarenſi cœnobio ſolemniter ſepultus.

Thomas Vuinterton Anglus, in Lincolnienſi patria natus, ex illo theologorum numero, qui Oxonienſibus in ſcholis quæſtiones ſubtilius agitabant, nemine inferior fuiſſe dicitur. Ille enim philoſophus ac theologus non vulgaris, doctrinæ ſuæ eminentia obtinuit non ſolum ſupremi Ordinis in eo gymnaſio magiſterium, ſed & per vniuerſam Angliam Prouincialem totius ſuæ familiæ præfecturam. Ioanni Vuiclefo contemporaneus fuit, & ab adoleſcentia in omni ſtudiorum genere familiaris. At cum vidiſſet Vuiclefum ſuis nouis dogmatibus antiquos in eccleſia ritus euertere, & panis tranſubſtantiationem in Eucha riſtia damnare, cenſuit ſepoſita veteri amicitia fortiſſimis rationibus

nibus ſtatim ei eſſe occurrendum. Sumpto igitur calamo contra Vuicleſum ſcripſit,

Super Euchariſtiæ aſſertione, lib. 1.
Contra confeſſionem Vuiclefi, lib. 1.
Diſputationes theologicæ, lib. 1.
Sermones per annum, lib. 1.

Simon Sothray Anglus Theologus inſignis, ſcripſit

De Eccleſiæ auctoritate, lib. 1.
De Sacramento corporis Dominici, lib. 1.
Contra Vuicleuiſtas, lib. 1. Floruit an. 1382.

Ioannes Vualdeby Eboracenſis, vir admodum pius & doctus. in Anglia & hoc eodem tempore gratus omnibus exiſtit. Is Vualdebius Eboracenſi in vrbe (quemadmodum Thomas Colbius narrat) non infimo loco natus, rem literariam domi foriſque ſumma coluit induſtria, ita futurum putans, vt non modo ſibi, verum etiam patriæ ſuæ aliquando vtilis eſſet. Quæ opinio adeo illum non fefellit, vt magno vſui ſuæ inſulæ fuerit. Non igitur alienum erit à præſenti negotio, ſi oſtendero quibus modis patriæ profuerit. Maturioribus annis ad literas educatus, Oxonij ſtrenue ſcientijs diuinis & humanis incumbebat: nec ſine fructu. Nam literati viri titulos omnes merito oblatos, ſolemnitate quadam ibidem eſt adeptus: in tota inſula etiã Prouincialis poſtea præſes deſignatus. Erat profecto vir admodum pius & doctus, vt ex opuſculis claret, ſingulari linguæ facundia, ingenijque promptitudine præditus, & propterea multis per ea tempora gratus. Multa enim edidit tam latino, quàm patrio ſermone ad vtriuſque, & cleri, & populi commodum.

In Symbolum Apoſtolorum, lib. 1. Cum in loco ſacro.
In Orationem Dominicam, lib. 1. Septies in die laudem,
In Salutationem Angelicam, lib. 1. Vas electionis Paulus.
Contra ſeptem peccata mortalia, lib. 1.
Sermones duodecim, lib. 1. Credo domine adiuua.

De

De Sacramento Euchariſtiæ, lib. 1. Ratione ſolemnitatis iam inſtantis.
Lectura theologiæ, lib. 4.
Itinerarium ſalutis, lib. 1.
Determinationes Oxonienſes, lib. 1.
Conciones ad vtrumque ſtatum, lib. 2.

Atque alia plura congeſſit. Magno regis concilio Stransfordiæ contra Vuicleuiſtas cum alijs theologis interfuit, anno Chriſti 1392. Quantum vero ad eius mortem, coniectura eſt, obijſſe illum ac ſepultum eſſe Eboraci in Auguſtinianorum fratrum cœnobio. Hæc Thomas Colbius.

Robertus Vualdeby, prædicti Ioannis frater, vir ſcientiæ titulo clarus, idemque profeſſione Auguſtinianus, ex Anglia cũ Eduuardo Nigello principe fortunatiſſimo in partes tranſmarinas euolauit. Toloſæ, quæ eſt Galliæ Narbonenſis vrbs nobiliſſima, poſtmodum ille ſtuduit philoſophiæ tum naturali, tum ethicæ, immo ipſi theologiæ, & in eis ſupra ſortem communẽ profecerat. Eoque excellentiæ demum deuenit, vt literatorum primas haberetur, linguarum peritia atque eloquentia præſtãs. Hinc theologiæ profeſſor Toloſanus fuit, & tam inſignis prædicator, vt ei obuenerint Epiſcopatus Adurenſis in Vaſconia primum, poſtea Dublinienſis Archiepiſcopatus in Hibernia anno Domini 1387. tum Ciceſtrenſis epiſcopatus anno Domini 1395. ac tandem Eboracenſis Archiepiſcopatus in Anglia anno Domini 1396. Iſte Robertus inter cetera cõpoſuit,

Lecturam Sententiarum, lib. 4.
Quæſtiones ordinarias, lib. 1.
Quodlibetta varia, lib. 1.
Contra Vuicleuiſtas, lib. 1.
Sermones per annum, lib. 1.

Et alia plura. Obijt anno Salutis 1399. & archiepiſcopatus ſui anno quarto. Eboraci in eccleſia ſua cathedrali ſepultus. Hæc Thomas Colbius.

Anno 1385. Bonauentura Prior generalis ab Vrbano ſexto Pont. Max. creatur S. R. E. presbyter Cardinalis titulo S. Cæciliæ.

ciliæ. Hic primus eſt, qui ex Ordine noſtro & ciuitate Patauina ad Cardinalatus dignitatem aſſumptus fuerit.

THOLOMAEVS VENETVS P. G.

ANNO Chriſti 1385. Synodus coacta eſt Strigoniæ in Hungaria quartodecimo calendas Iunij, in qua Prior generalis electus fuit Tholomæus Venetus theologus, qui præfuit annis quindecim. Schiſma in Eccleſia Romana hoc tempore exortum, effecit, vt contra leges Ordinis Comitia in hoc vſque tempus dilata fuerint.

Tholomæus Prior generalis, Ordinem & monaſterijs & ſanctis viris, in Hetruria præſertim adauxit: à quo Congregatio ILECETANA. Ilecetum, locus eſt in Tuſcia non longe à Se nenſi ciuitate diſtans, ad contemplandum aptiſſimus, vbi & ante hæc tempora viri noſtri Ordinis ſanctitate perſpicui vitam in tranquillitate degerunt.

Auguſtinus de Aſculo, doctor præſtantiſſimus, & in concio nibus maxime charus, edidit digniſſima commentaria,

Super libros Sententiarum.

Super libros Ethicorum.

Super Geneſim.

Super Euangelijs Dominicalibus, ad ſtudioſos & religioſos viros in ſtudio Patauino degentes, qui (vt ipſe in præfatione teſtatur) ſui diſcipuli fuerunt. Hæc omnia aſſeruantur Bononiæ, & Patauij in bibliothecis Ordinis. Et alibi apud alios monachos, Florentiæ præſertim in bibliothecis Ordinum fratrum Ser uorum, & Minorum.

Aldebrandinus Caualcantes Florentinus theologus, vt poſteros ad ſpem adipiſcendæ beatitudinis hortaretur, conciones multas compoſuit, quas Sermones Quadrageſimales appellat, ſicut in bibliotheca noſtra Sancti ſpiritus videri poteſt. Conſtat autem multas aliarum rerum tractationes compoſuiſſe, quamuis temporum vitio interierint, cum in fine Sermonum iſtorum dicat hæc verba: Si vis plus loqui de Epiſtola aut de

Euangelio, quære inter ſermones Dominicales: require etiam de hac materia inter Sermones hiſtoriales. Compoſuit inſuper Sermones feſtiuos, quorum primus ſic incipit: Venite poſt me faciam vos, &c. in verbis propoſitis quantum ad ſolemnitatem beati Andreæ duo conſideranda occurrunt: primum, Inuitatorium amoris: ſecundum, Officium honoris.

Bertrandus Parayte Toloſanus in diuinis ſcripturis iugi ſtudio exercitatus, ſcripſit nonnulla ingenij ſui opuſcula, è quibus obſeruaui commentaria in Apocalypſim beati Ioannis Apoſtoli, quæ aſſeruabantur Pariſijs in bibliotheca Ordinis, vt ex indice librorum qui ibi extabant facile cognoſci poteſt.

Petrus de Spira, natione Teutonicus, vir (auctore Trittemio) in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & in ſæculari philoſophia magnifice doctus, ingenio præſtans & clarus eloquio, in tractandis ſermonibus ad populum celeberrimæ opinionis, ſcripſit quædam præclara opuſcula, quibus nominis ſui memoriā ad poſteros tranſmiſit. E quorum numero feruntur,

Sermones de tempore, lib. 1.
Sermones de Sanctis, lib. 1.
Super libros Ethicorum Ariſt. lib. 10.

Alia vero quæ compoſuit, ad notitiam noſtræ lectionis nondum venerunt.

Anno 1388. ſextodecimo calendas Iunij, conuentus coactus eſt Imolæ, quam Ptolemæus forum Cornelium vocat, in via Aemilia, in quo idem Prior generalis confirmatur, ſtatutumque fuit, vt in Translationibus Beati Auguſtini, eiuſdemque Conuerſione, & in feſto S. Monicæ, fieret officium duplex & ſolemne.

Anno 1389. Vrbanus ſextus Rom. Pont. confirmat omnes immunitates & gratias à prædeceſſoribus Ordini quomodolibet conceſſas.

Anno 1391. quarto decimo cal. Iunij, Synodus celebratur Herbipoli in Saxonia, vbi eidem Tholomæo magiſtratus in aliud triennium prorogatus eſt.

Baſilius Laudenſis, vir ſanctitate vitæ & eruditione ſcripturarum

rum ſatis præclarus, à Laudenſi populo Epiſcopus acclamatus, nihil erga ſuum gregem, quòd ad boni paſtoris attinet prætermittens, magnum ceteris ſe in eo munere præbuit exemplar.

Antonius de Rauenna, qui ſemper ſumma caſtimonia & abſtinentia vixit, animam egit multis inſignibus ſuæ ſanctitatis indicijs.

Ioannes Tertius Senenſis theologus, itinerum ac laborum omnium beatæ Catharinæ de Senis comes & ſocius, his temporibus doctrina & ſanctitate claret.

Sanctus de Cora, vt nomine, ita & re ſanctus, miram vtriuſque ſexus populi multitudinem diebus pluribus ſolo Dei verbo ſuſtentabat, & quouſque vox eius in agris prædicando audiebatur, iminentibus, vbique in alijs locis tempeſtatibus ſummis, & imbribus abundantiſſimis, eouſque ſerenitas ſumma ſupra omnem multitudinem perſeuerabat.

Petrus Senenſis, cognomine Sanctus, adeo & tam fixe rebus diuinis vacabat, vt ne momentum temporis quidem ab eis deflecteret mentis aciem, quem futura frequentiſſime vaticinantem velut oraculum homines conſulebant. Bella multa, ſeditiones, ciuitatum motus, peſtes, incommoda prædicebant, vt de eo dictitarent, Vtinam bona Sanctus nunciet.

Iacobus, Nicolatius, & Bandinus Senenſes, qui integerrime ſemper ac caſtiſſime vixerunt, ex hac vita inter ſyluas Ilicetanas pie ſancteque diſceſſerunt. De quibus memoria extat, quòd Iacobus humi cubabat, crudis veſcebatur, vina omnino fugiebat, cilicina induměta non linea induebat. Nicolatius nihil vnquã auditus eſt loqui, niſi cum neceſſitas vrgeret, ſilẽtio os perpetuo premente. Cuius taciturnitatẽ imitatus Bandinus cum abduci aſellum à fure conſpiceretur, ne ſilendi legem labefactaret, nec abduci prohibuit, nec vlli abducentem indicauit, ſed eccleſiam ingreſſus prece & lacrymis cauſam apud Deum egit, victorque effectus eſt. Nam furtum & fur immoti ſtetere, nec vnquam extra ilices prodiere, donec fur furtum reſtituit, venia impetrata. Sanctus Ambroſius de officijs, Silendi patientia, opportunitas loquendi, contemptus diuitia-

rum, maxima ſunt virtutum fundamenta.

Anno 1394. Comitia celebrata ſunt Arimini die 15. Iunij, in quibus idem Tholomæus Prior generalis confirmatus eſt.

Anno 1395. Petro Apamienſi pænitentiario, ſacriſtæ, & bibliothecario Romanorum Pontificum defuncto, ſucceſſit in eiſdem officijs Petrus Aſſalbitus Lemouix theologus, qui primum fuit Olorenſis, deinde Condatenſis, & demum Electenſis epiſcopus.

Rogerus Tuuiforde, aliàs Good Lucke Anglus, vir multum religioſus, iuuenis naturali pollebat induſtria, qua per Anglorum Academias ſcientias tam ſacras, quàm profanas ſtudioſe quærebat. Inde tandem theologicum magiſterium adeptus, multarum concionũ non infelix fautor & propalator per diœceſim Nordouicenſem fuit. Nec deſunt qui dicunt, eum longo in ſcripturis ſtudio fuiſſe exercitatum, & multa veterum lectione eruditum. Scripſit pie & religioſe,

Itinerarium mentis in Deum, lib. 1. Cum omnis ſcientia.

Sermones eruditos, lib. 1. Veniet deſideratus cunctis gentibus. An extent adhuc alia ab ipſo ſcripta opuſcula, plane ignoro.

Ioannes Langham Anglus, ex humili (vt teſtatur Lelandus) quodam eius cognominis Nordouolgiæ pago, non procul à Nigeria natus, & Ordinis eremitarum S. Auguſtini inſtituta Nordouici profeſſus, Cantabrigiæ Ariſtotelis philoſophiæ complu ribus annis inuigilauit. Tandemq; theologi titulo ex Petri Lõbardi Sententiarum longa lectione auctus, ſcriptis tradidit Inſtitutiones Logicales, Scholaſticas diſputationes, & his ſimilia plura, quæ Nordouici in bibliotheca Ordinis aſſeruabantur.

Conradus de Monte Puellarum, Teutonicus, Ratiſponenſis eccleſiæ olim canonicus, in gymnaſio Erfordenſi rudimentis liberalium artium imbutus, ſe ad vniuerſitatem Pariſienſem contulit, vbi philoſophiam & ſacras literas lectitans, doctoris inſignia conſecutus eſt. Scripſit ad Lupoldum epiſcopum Bambergenſem grande & nobile opus, quod prænotauit,

Occo-

Oeconomicam, lib.3.Omnis moralis philoſophia.
Monaſticam ad Ducem Auſtriæ,lib.1.
Politicam quoque, lib. 1.
Quæſtiones varias, lib.1.

Et alia multa. Hic Conradus annis maturis, & iamdudum magiſtratus inſignibus decoratus, religioni eremitarum S. Auguſtini Ratiſponæ ſe dedit.

Ioannes Cliuoth de Saxonia theologus illuſtris, ſcripſit in Magiſtrum Sententiarum vtiliſſima commentaria. Vincentius de Bandelis de Caſtronouo Dominicanus, in lib. de Conceptione Virginis, adducit hunc Ioannem in 3. Sentent. diſt.3.huiuſmodi verbis. Beata Virgo ſecundum auctoritates ſanctorum fuit concepta in peccato originali, vnde dicit Aug. ſuper Pſal. quòd Maria ex Adam nata, mortua eſt propter peccatum:creditur tamen, quòd ab eodem ante natiuitatem ex vtero fuerit mundata.

Petrus de Balneo theologus inſignis, edidit tractatum De Virtutibus, & alium, qui ſumma de Planctu eccleſię prænotatur. Qui tractatus extant Romæ in bibliotheca Canonicorum Sancti Petri.

Antonius Aſtenſis theologus inſignis, ſcripſit ſuper primum Sententiarum volumen grande, quod Mediolani in bibliotheca noſtra S. Marci cuſtoditur, cum multis alijs noſtri Ordinis auctoribus.

Simon de Tuderto, vir doctus & ſanctus, ac prædicationis dono celebris, cum eſſet per Vmbriam Prouincialis præſes, & Bononiam concionator deſtinatus,ſuum in eadem prædicatione prædicens obitum, felici exitu vitam, loco,& tempore, vt prænuntiauerat terminauit: qui multis etiam longo tẽpore Bononiæ vbi ſepultus eſt miraculis claruit.

Nicolaus de Tinis Senenſis ſanctitate clarus, cum vndique mendicantes quæreret quos reficeret, inuenit in horreum poſt innumerabiles eleemoſynas quantum in æſtate condiderat. In dolio quoque, vini multum, cum ne multa quidem dolia ſuf-

ſectura fuiſſent. Qui etiam, virum monaſterio oblatum qui ſe ſuſpenderat, cum diem integrum precibus intentus fuiſſet, brachio appenſum vitæ reſtituit.

Anno 1396. Bonauentura Patauinus Cardinalis, cum pro tuenda eccleſiæ libertate Franciſco Seniori Carrarienſi Patauinæ ciuitatis Principi ſe ſe opponeret, & iniquis illius poſtulationibus quanta poterat animi conſtantia & vi rationis obſiſteret, Carrarienſis vehementer commotus, procurauit per occultos ſicarios, vt Bonauentura tantæ præſtantiæ vir Romæ impie & perquàm nefariè occideretur. Is enim ſagitta ex occulto per pontem S. Angeli miſſa, immaniter transfixus occubuit. Scripſit egregia & valde vtilia volumina. E quibus ego obſeruaui. In libros Sententiarum Petri Lombardi Commentaria, excuſa in Germania, tomis quatuor diſtincta. Meditationes in vitam Chriſti valde deuotas, opus diuiſum in cap. 95. impreſſum. Speculum Mariæ, excuſum Auguſtæ 1476. Vitas Sanctorum. In Canonicam Iacobi Apoſtoli comment. In Canonicas Ioannis comment. Sermones de tempore. Sermones de Sãctis. Sermones ad clerum ſuper multas materias. Pariſijs, vt ex regeſtis ordinis colligitur, literis operã dedit, vbi non ſolum doctoratus inſignia ſuſcepit, verum etiam in eodẽ gymnaſio prope decem annis Theologiam publicè profeſſus eſt. Hic Franciſco Petrarchæ fuit amiciſſimus, eique arctiſſima familiaritate & ſimilitudine morum, literarum, ſtudiorumque coniunctiſſimus. Quo circa cum idẽ Petrarcha diem clauſiſſet extremum, Bonauentura noſter nondum ad ſupremos honores promotus, in præclariſſimo & frequentiſſimo illius funere, in collibus Euganeis peracto, in Arquadi vico, quò & Epiſcopus cum clero, & Princeps Carrariẽſis, & vniuerſa Academia, & tota fere Patauina ciuitas, ad iuſta ei honorificẽtiſſime perſoluenda conuenerant, funebrem orationem habuit luculentiſſimam, tanto ſane poeta, & tanta eruditiſſimorũ virorum frequentia & expectatione digniſſimã. Huic etiam, iam tunc Cardinali, nonnullas & pias & doctas virgo ſeraphica beata Catarina de Senis epiſtolas miſit. Sepultus eſt Romæ in eccleſia

noſtra

noſtra S. Auguſtini iuxta ſacellum S. Nicolai de Tolentino. Hunc iudicio bonorum inter Martyres annumerare decet, ſicut eius fratrem Bonſemblanſem inter ſanctos Confeſſores.

Anno 1397. Conuentus habitus eſt in Germania apud Cãbodunum, quod hodie Monachum vocant, Vindelicorum vrbem, die 17. Iunij, vbi eidem Tholomæo magiſtratus in aliud triennium prorogatus eſt.

Anno 1400. Bonifacius Nonus Pont. Max. concedit annuatim eandem indulgentiam & remiſſionem peccatorũ, quæ eſt Aſſiſij in feſto Portiunculæ, viſitantibus ſacellum beati Nicolai de Tolentino in Dominica, feſtum eiuſdẽ beati Nicolai immediate ſequente, a primis veſperis vſque ad totum diem ipſius Dominicæ. Et vult quòd Prior monaſterij S. Auguſtini de To lentino cum quinque alijs ſacerdotibus ab eo deputatis, poſſint per decem dies ante dictam dominicam fideles confluentes annuatim pro dicta indulgentia, confeſſionibus auditis, ab õnibus caſibus (niſi ſint ſedi Apoſtolicæ reſeruati) abſoluere & pœnitentiam ſalutarem eiuſdem iniungere. Item concedit priuilegiũ quo poſſimus inſtituere mulieres cuiuſcunque gradus ad portandum habitum ad inſtar Mantellatarum ſeu Pinzocherarum ordinum fratrum Minorum & Prædicatorum, quæ gaudeant omnibus priuilegijs & immunitatibus, noſtro ordini & fratribus conceſſis.

Patres quidam ordinis amatores, attendentes multis in locis eam qua victabatur refrixiſſe charitatem, cœperunt non ſolũ vbi opus fuit ordinem inſtaurare, verum etiam & doctis & probis viris augere, potiſſimum autem in Regno Neapolitano. Hinc Congregatio CARBONARIA, ſiue S. Ioannis à Neapoli.

Chriſtianus Francus, vnus de primoribus, qui in Campania & Regno Neapolitano ordinem reparauit & auxit, Neapoli in conuentu noſtro S. Ioannis de Carbonaria, auſteritate vitæ & multis miraculis claruit.

Ioannes de Lana Bononienſis, vir doctus & ſanctus, primis adoleſcentiæ ſuæ annis Bononiæ in ædibus S. Iacobi Ordinem

ingreſ-

ingreſſus, cum domi Ariſtotelis philoſophiæ, & Petri Lombardi diſtinctionibus, annis aliquot inuigilaſſet, Pariſios miſſus ibi intra paucos annos tantum in illis ſcientijs profecit, vt protinus fuiſſet magnorum theologiæ magiſtrorum adſcriptus numero, niſi ſtatui magiſterij ſponte ſæpius renunciaſſet. Satis enim ſibi eſſe videbatur, quòd in ſacra theologia Bacalaureus nominaretur. Vnde poſt publicas illic ex theologia & philoſophia lectiones habitas, in patriam reuerſus, Prior ſui monaſterij effectus eſt, eidemque multis annis laudabiliter & vtiliter præfuit. De quo exemplum miræ humilitatis ac tolerantiæ enarrat Iordanus, iam tum de ſua familia frater. Nam quadam die cum ad eum veniſſet vir quidam nobilis genere, licet ignobilis moribus, vt peteret quod conuentui minime expediebat, idq; à Priore negaretur, indignatus Priorem ipſum colaphis in terram defixit, & ſic proſtratum manibus illi ac pedibus contumeliam intulit. Cumque accurrerent fratres, & tolleret ſe, inque genua aſtaret, diceret: Domine percutite quantum vultis: nobilis vir ille obſtupuit, & receſſit. Scripſit aut quoſdam non ſpernendos libros & tractatus. E quibus ad meam notitiam deuenerunt,

Super Magiſtrum Sententiarum, lib. 4.
Quæſtiones in libros Phyſicorum Ariſt.
Quæſtiones de Anima humana.
Quodlibetta duo.
Quæſtiones extraordinariæ.

Et alia quædam, quæ Bononiæ aſſeruātur. In quæſtionibus de anima humana, multa explicātur vtilia & rara, quæ non ita facile, apud alios comperiuntur. Fuit Ioannes tam præclaræ famæ & ſinceræ fidei, ſanctæque conuerſationis, vt multi volentes (quemadmodum idem Iordanus refert) ſuam ipſorum fidē aſtruere, nomine eius aſtruebant, quaſi iurantes, ita eſſe, per Fratrem Ioannem de Lana. Qui tandem prope nonagenarius apud ſuos Bononienſes ſanctiſſime obijt, & in eccleſia noſtra S. Iacobi ſepultus iacet.

Onuphrius Oſtecutus Florentinus cōcionator & theologus

eximius,

eximius, in literarum cognitione tantum nominis & gloriæ conſecutus eſt, vt à populo Florentino Epiſcopus acclamari, & a Bonifacio nono Pont. Max. approbari meruit. Qui etiam commentarios præſtantiſſimos elucubrauit,

In quatuor Euangeliſtas
In Actus Apoſtolorum.
In Primum Sententiarum.
Sermones ad Populum.

Quæ omnia extant Peruſij in monaſterio noſtro S. Auguſtini. Obijt an. ſalut. 1403. Florentiæ in eccleſia cathedrali ſepultus.

Facinus Aſtenſis cognomento Longobardus, vir in ſcripturis ſanctis eruditus, & in diſciplinis Ariſtotelicæ philoſophiæ egregie doctus, ingenio acutus, & ad diſputandum ſatis idoneus, laudatur plurimum, eo quòd in Magiſtrum Sententiarũ, & libros Ariſtotelis multas & doctas quæſtiones ediderit. Quæ omnia Mediolani cuſtodiuntur in bibliotheca noſtra S. Marci. Quæſtiones ſuper libros Phyſicorum, religioſis viris fratribus ſtudentibus Bononiæ dicatis, aſſeruantur in pleriſque alijs locis, Bononiæ præſertim in bibliotheca S. Dominici.

Franciſcus Gonzagæ filius, Mantuæ Marchio, cum per annum continuum, grauiſſimum non ſine ſui regni periculo bellum cum Liguribus & Galeatio Mediolani Duce geſſiſſet, ipſo die S. Auguſtini, cui ſe antea vouerat, qui & ei apparuerat victoriam pollicẽs, duplicem & miſerabilem conflictum Liguribus & Mediolani Duci intulit, curauitque poſtea Auguſtinum eo modo pingi quo apparuit, cucullo videlicet nigro & pòmificalibus indutum; iuſſitque eius feſtum Mantuæ in eccleſia noſtra S. Agnetis magnis ſolemnijs celebrari; & per dignum epigrãma memoriæ tradidit poſteris: quo pacto tali victoria potitus ſit, ipſum S. Auguſtinũ patriæ & ſuum protectorem appellans.

EPIGRAMMA.

Vos patriæ ciues, quibus hic pater expulit olim

Bis Liguros, lætumque dedit bis habere triumphum,
Dum ſua curriculo bis feſta darentur eodem.
Eſte boni memores, & grata aduertite dona,
Et mecum huic laudes, mecum hos celebretis honores.
Protector patriæ ſpes ac tutiſſima noſtræ,
Auguſtine, parens, doctor, lux inclyte ſacri
Eloquij, innumeras Ocnæas accipe laudes.
Tendimus inde manus, humiles, oculosve precantes,
Venturo aduerſis, vt quondam, protege princeps.

Paulus Bergomenſis in Apologia religionis rem hanc ita enarrat: Illuſtriſſ. Mantuæ Marchio Ioannes Franciſcus cum ex pugna cum Philippo Mediolanenſium duce habita, bis in die feſto beatiſſimi Auguſtini victor euaſiſſet, feſtum iuſſit vbique celebrari, & nūc vſque in ciuitate ipſa celebratur, oblationeque publica eadem die locum noſtrum viſitat. Quod cum Canonici quidam ex regularibus apud S. Bartholomæū collecti ægreferrent, quod potius ad Eremitas quā Canonicos ſe conferret, is humaniſſimus vt erat ac religioſiſſimus reſpondit: His patribus facio ea cauſa, quoniam Auguſtini filij ſunt: ſuo enim habitu bis mihi Auguſtinus dum victoriam tribuit apparuit, non veſtro. Hactenus Paulus. Mediolani quoque extat beati Auguſtini cum toga & veſte ſcapulari Monachorū, zona, mithra, & catacliſta, imago marmorea vetuſtiſſima, ante quadringentos & amplius annos digniſſime ſculpta: & , vt fama refert, à Galdino de Sola S. R. E. presbytero Cardinali & Apoſtolicæ ſedis legato, ciue & archiepiſcopo Mediolanēſi, in portæ Cumanæ frontiſpicio, verſus S. Simplicianum collocata. Venetijs item in antiquo templo D. Marci, alia eodem modo picta viſitur: & foris in ipſius templi ſummitatibus alia cernitur marmorea, pontem verſus, qui Riuusaltus nominatur.

NICOLAVS DE CASSIA. P. G.

ANNO Chriſti M C C C C. Comitia ordinis celebrata ſūt Aquilæ in Aprutio, tertio idus Iunij, in quibus Tho

lomeo

lomeo defuncto Prior generalis ſubrogatur Nicolaus Saracenus Caſſianus Vmber theologus: ſancitũque fuit, vt in hymno Te deum laudamus, ad verſũ, Te ergo quæſumus famulis tuis, genua flecterentur.

Monaſteria Barcinonenſe & Valliſoletanum in Hiſpania his temporibus extruuntur.

Ludolfus de Canoslaria Germanus, & Ludouicus Capuanus Italus, doctrina & miranda ſanctitate clarent.

Hieronymus Ariminẽſis epiſcopus Ariminẽſis, Petrus Olorenſis epiſcopus Olorenſis, Auguſtinus de Goneſſa Vmber epiſcopus Bouenſis, & Clemẽs Romanus epiſcopus Verulanus, viri moribus & eruditione inſignes.

Ioannes Hickeley Anglus theologus, Ioãni Vuiclefo inimicus & hoſtis, & apud ſuos inſulares clarus, ſcripſit volumẽ grande, De eccleſiæ poteſtate, tribus partibus diſtinctum. Incipit: Eccleſia magna valde ab introitu Emath. 2. Paralip. 7.

Anno 1403. Conuentus habitus eſt Launghinghem in Sueuia, tertio nonas Iunij, in quo idem Nicolaus Prior generalis confirmatus eſt. Miſerabilis quidem fuit noſtra hæc Synodus, nam ſæuiente ibi bello quodam, multi ex fratribus qui ad comitia venerant, perierunt.

Anno 1408. Stephanus Senenſis, vir prudentiæ ſingularis, mutato habitu Canonicus regularis ĩ monaſterio S. Saluatoris Syluælacus prope Senas effectus eſt, Gregorij duodecimi Põt. Max. iuſſione. Qui deinde certo conſilio hac ſede dimiſſa, in monaſterium S. Ambroſij prope Eugubium ſitum, & ad alios deinceps antiquiores canonicos in monaſterijs S. Mariæ ad Rheni ripas foris, & Domini Saluatoris intra Bononiam inuicẽ vnitis degentes, perueniens, facta prius quadam cum eiſdem Ambroſianorum canonicorum ſocietate: primus ab ea vnione Prior generalis declaratus eſt, & Martini Quinti Romani pontificis diplomate confirmatus, leges ac cõſtitutiones edidit: Vnde poſtmodum adaucta feliciter Congregatione, ex ea plurimi Patres moribus & doctrina inſignes prodierunt. Hac vero noſtra tãpẽſtate Congregatio S. Saluatoris, inter Clauſtrales

ordines, primas facile tenet.

Simon Tornaquincius Florentinus, in ordine a pueritia educatus, cum in vitæ probitate & ſacrarũ literarum notitia plurimum profeciſſet, doctorumque tãdem lauream eſſet adeptus, hiſtoriã D. Monycæ ex libris D. Auguſtini contexuit, quæ etiam in fine tomi decimi operum D. Auguſtini, ſine nomine tamen alicuius auctoris, cũ quibuſdã alijs rebus ad vitã & mores S. Auguſtini pertinentibus, impreſſa conſpicitur & circunfertur. Conſcripſit etiã conciones digniſſimas Quadrageſimæ tẽpore habitas, quas bibliothecæ monaſterij Sancti ſpiritus Florentini, vnà cum prædicta D. Monycæ vita reliquit.

Anno 1408. Synodus cogitur Ferrariæ pridie nonas Iunij, vbi idem Nicolaus Prior generalis confirmatus eſt.

Ricardus Cheſer Anglus (Ioanne Lelãdo referente) in Nordouolgiæ comitatu natus, adoleſcens magnæ ſpei, exẽpla monaſticæ vitæ ſuſpiciebat, coluit, venerabatur. Quare Nordouicum petijt, ciuitatem certe nobilem, vbi cœnobiticis Auguſtinianorum eremitarum ritibus initiatus, ita omnes ſtudioſi viri partes impleuit, vt nec curioſius quidẽ aliquid in illo recte potuiſſet deſiderari. Deinde Cantabrigiã ſtudendi gratia adiuit, & in concionatorem clariſſimum euaſiſſe eum ex ſcriptis conſtat. Ex quibus poſterorum memoriæ commendauit hæc quæ ſequuntur, videlicet,

Sermones elegantes, lib. 1. Buccinate in Neomenia.
De Natiuit. Chriſti, lib. 1. Paruulus natus eſt nobis.
De quatuor nouiſſimis, lib. 1. Fili memorare nouiſſima tua.
Collationes plures, lib. 1.

Guilelmus Vuellis, aliàs Fontanus, natione Anglicus, inter Auguſtinianos homines Limnenſi in cœnobio per hæc tempora clarus exiſtit. Hanc illi claritatem in primis peperit virtus literaria, quam vſque adeo coluit, vt ceteris magnum quidem inexhauſtæ diligentiæ exemplum oſtenderit. Quod ſi ita facũdia vt diligentia valuiſſet, & ad faſtigia contendiſſet, iam plane apud nos magno in honore eſſet. At hoc per ſeculũ ſuũ, quan-

tum ad

tum ad puritatem linguarum rudiuſculum aſſequi non potuit: calamo tamẽ non pepercit. Prouincialis Ordinis per Angliam præſes, hæc quæ ego ingrato ſilentio prætcrire nolo, exarauit.

Diſtinctiones in Pſalteriũ, lib. 1. Per abyſſum ſcriptura deſignat.

Actus Curſorios, lib. 1.

Diſputationes theologicas, lib. 1.

Poſtillationes Euangeliorum, lib. 1.

Declamationes vulgares, lib. 1.

Vixit non incelebris Limnæ, vbi etiam nono kalendas Aprilis an. ſal. 1421. mortuus eſt, & ſepulchro conditus. Hæc Ioãnes Lelandus.

Henricus de Langenſtein, dictus de Haſſia natione Teutonicus, vir in ſeculari philoſophia & diuinis ſcripturis eruditus, ingenio præſtans, abũdans & diffuſus, quippe qui multis ãnis in lectura Geneſeos conſũptis, vix ad quartum caput libri pertingens, totidẽ volumina compleuit. Erat enim ad omnia reſolutus, & in dicendo ſcribendoque copioſus adeo, vt apud eum maioris difficultatis fuerit ſponte memoratu digna occurrẽtia repellere, quàm noua quæ diceretur inuenire. Hic vt ex quadã eius epiſtola conijcitur, prius erat eccleſiæ Vuormacienſis canonicus, quàm ordinem Auguſtinianum profiteretur. Claruit primùm in vniuerſitate Pariſiẽſi vbi laureã doctoratus promeruit, deinde pro decore nouæ plãtationis vniuerſitatis Viẽnenſis in Auſtria illò ſe contulit, & tum docendo tum ſcribẽdo magnã gloriã eruditionis ſuæ acquiſiuit. De cuius opuſculis feruntur,

Super Sententias, lib. 4. qui hodie aſſeruantur Mediolani in bibliotheca noſtra S. Marci: ſũtque egregij ac omni doctrinarum genere referti Commentarij.

In Geneſim & Prologum, lib. 5.

De antichriſto & ſchiſmate, lib. 1.

De eruditione Sacerdotum, lib. 1.

De contemplatione & anima contemplatiua, lib. 2.

Speculum Animæ, lib. 1.

De Horis canonicis, lib. 1.

Contra

Contra Aſtrologos lib. 1. Multi principes.
Super oratione Dominica & ſalutatione Angelica.
Super Symbolo Apoſtolorum, lib. 1.
De contemptu mundi, lib. 1. Reuerendo Dom. Ioanni.
Contra fratrem Theleſphorum, lib. 1.
Contra quendam Vuickleſitam, lib. 1.
De proprietate Monachorum, lib. 1.
Sermones de tempore, lib. 1.
Sermones de Sanctis, lib. 1.
In Cantica canticorum, lib. 1.
Epiſtolarum ad diuerſos, lib. 1.
Queſtiones variæ.

Alia quoque multa edidit, quæ ad notitiã meã non venerũt.

Iordanus Saxoneus, in Quintelingeburgẽſi patria natus, ex illo theologorũ numero, qui in Germaniam diuinam ſapiẽtiam profitebãtur, princeps agnitus, doctrinæ ſuæ eminẽtia obtinuit non ſolum ſuprema in Gymnaſijs Germanorũ ſubſellia, ſed & per vniuerſam Germaniam totius ordinis præfecturam. Scripſit autẽ plures elegãtes & vtiles tractatus & libros, quibus nominis ſui memoriam poſteris reliquit, è quibus tamẽ pauci ad manus noſtras peruenerunt, nempe

Liber qui dicitur Vitas fratrũ. Spiritualis pulchritudinis.
Apologia Ordinis, lib. 1.
Vita S. Monychæ, lib. 1.
In Apocalypſim beati Ioannis.
De paſſione Domini. Inſpice & fac ſecundum exemplar.
Sermones de Sanctis. Dan catulus Leonis. Hoc opus tãta eſt exuperans doctrinæ fœcunditate, tãque diſtincto digeſtũ ordine, vt ad ſui lectionẽ oẽs præſertim diuini verbi cocionatores merito prouocet. Impreſsũ eſt Pariſijs apud Damianũ Hichmã in vico S. Iacobi ſub ſigno Quatuor elemẽtorũ cõmorantẽ.
Sermones de tempore, Siue Opus poſtillarum & ſermonum de Euengelijs Dominicalibus, lib. 1. Iordanis ripas aluei. Et eſt impreſſum Argẽtinæ an. Dom. 1483.
Quadrageſimale, lib. 1.

Quæſtiones variæ, lib. 1.

Et multa alia. Obijt Viennę Auſtriæ, & in eodem tumulo, vbi iacēt Thomas & Gregorius Priores generales, ſepultus eſt. In ſuo libro qui inſcribitur Vitasfratrum, narrat ſe fuiſſe in Italia, & Bononiæ vixiſſe eo tempore quo erat Prior Monaſterij Ioannes de Lana: frequentemque ſibi adoloſcenti fuiſſe cum Henrico de Vrimaria, viro non minus doctrina quàm ſanctitate præſtantiſſimo, conſuetudinem ac familiaritatem.

PETRVS DE VENA P. G.

ANNO Chriſti MCCCCXII. Synodus coacta eſt Romæ vndecimo kal. Iunij, in qua Nicolao Caſſiano ad epiſcopatum Recanatenſem aſſumpto, Prior generalis ſubſtituitur Petrus de Vena theologus, qui ordinem gubernauit annis ſeptem.

Anno 1414. Oecumenicum Concilium Conſtanſienſe, ad ſchiſma tollendum, quod ſupra triginta annos durauerat, cœptum eſt celebrari: in quo affuerunt Nicolaus Saracenus Recanatenſis epiſcopus, Petrus de Vena Prior generalis, Ioannes Vobes Pariſienſis procurator Regis Franciæ, Ioannes de Pratis monaſterij S. Auguſtini de Maclouia, Guilelmus Forliuienſis procurator Georgij de Ordelaſſe Domini Forliuij, & Antonius de Rampægolis Genuenſis.

Paulus Venetus philoſophus & theologus eximius, his diebus in gymnaſio Senenſi, cuius facile prīceps habebatur, tanq; alter S. Auguſtinus cum quodam immaniſſimo hæretico, & ab alijs inuicto, nomine Franciſco Porcario, diu diſputans, eum non ſolum publice ſuperauit, ſed & vt exureretur efficit, ſicq; Hetruriā totam, ne dicam Italiam, à peſtę & cōtagione huius hæreſiarchæ liberauit.

Theodoricus Vrias Hiſpanus theologus, compoſuit librum titulo De conſolatione eccleſiæ, Argentinæ impreſſum.

Iſaias de Cracouia Polonus, & Ioannes Bloch Alemanus, ſcripſerunt in Magiſtrum ſentęntiarum quæſtiones digniſſimas,

quæ in Germania in bibliothecis ordinis aſſeruabantur.

Raymundus de Altoponte Gallus, Pariſijs ſacrarum literarum publicus prælector, ſcripſit in omnes D. Pauli epiſtolas commentaria, quæ ibidem in bibliotheca ordinis aſſeruabãtur.

Hẽricus Bituricenſis theologus & cõcionator egregius, reliquit Sermones Quadrageſimæ tempore habitos, Lugduni impreſſos.

Anno 1415. Comitia ordinis Auenione cogũtur in Gallia Narbonẽſi, die decima nona Maij. in quibus Petrus de Vena, qui detinebatur in negotijs Concilij Conſtãtienſis, abſens Prior generalis confirmatus eſt.

Petrus Italus ex oppido Bruniquello, Ciuitatis nouæ in Latina regione epiſcopus, vir in diuinis ſcripturis erudiſſimus, & ſecularium literarũ nõ ignarus, ingenio præſtãs, & eloquio clarus. Edidit magnæ vtilitatis plura opuſcula, quibus magnificè exercitato ingenio, memoriam ſui poſteris demãdauit. E quibus ferũtur. In gratiã Cardinalis de Rengaxio, opus quoddam inſigne, in quo omnes Noui & veteris teſtamẽti hiſtorias ad alphabeti ordinem redegit, & in ſingulas materias diſpoſuit. Cuius initium; Abſtinẽtes Deus voluit eſſe primos parẽtes, Extat Romæ & Florẽtiæ in bibliothecis ordinis. Item Super Sentẽtias, lib. 4. Item in Prouerbia, in Eccleſiaſten, in Cãtica cãticorum Salomonis egregia Commẽtaria. totam fermè Bibliam optimis expoſitionibus exornaſſe, narrãt Ioãnes Trittemius & Iacobus Bergomenſis.

Iacobus cognomẽto Magnus de Eubio dictus Toletanus, ĩ veterum theologorum lectione plurimum verſatus, præter id quod vniuerſã ferme (vt tradũt Ioãnes trittemius, Ambroſius Coranus, & Iacobus Bergomẽſis) ſcripturam ſacram annotationibus exornauerit, edidit volumẽ egregiũ & inſigne de ſermone & inquiſitione diuinæ ſapientiæ, prænotatum, Sophologium, libris decem diſtinctũ, characteribus antiquiſſimis excuſum. Fertur alia varia opuſcula edidiſſe, quæ Bononiæ è bibliotheca conuẽtus noſtri S. Iacobi erepta fuere, & ego memini me vidiſſe Quæſtiones optimas ĩ libros Ariſt. de Anima, quas,

vt in principio notatum erat, Patauij edidit & diſputauit, dum ibi eſſet prælector publicus. Item, librum aliũ titulo, Vtriusq; philoſophiæ compendium, Michaeli epiſcopo Antiſiodorenſi dicatum, quo quæ ad naturalium & ſupernaturalium rerum cognitionem ſpectãt, facile percipi poſſunt, ac breuiter. Hic cum eſſet à ſecretis confeſſionibus Carolo Septimo Francorum regi, electus archiepiſcopus Burdegalenſis, dignitatem repudiauit. Obijt Pariſijs, & in eccleſia noſtra S. Auguſtini ſepultus iacet.

Antonius Rampegolus Genuenſis, in ſcripturis ſanctis, & iure tam Pontificio quàm Cæſareo peritus, in Concilio Conſtantienſi, vbi interfuit, magnum ex ſua non vulgari prudentia ac eruditione ſibi comparauit nomen. Fuit præterea, vt narrat Iacobus Bergomenſis, concionator ſui ſæculi præclariſſimus, qui Chriſtianis populis ad bene beateque viuendum verbo pariter & exemplo quoad vixit, inceſſanter viam optime oſtẽdit. Eius autem complurima ſermonum opuſcula extant, quibus Concionatores plurimum vti conſueuerunt, præter id quod prænotatur, Compendium figurarum moralium Bibliæ, quod mittit religioſis Fratribus, qui Neapoli litteris operam dabant, quorum ipſe fuerant doctor ac regens.

AVGVSTINVS ROMANVS P. G.

ANNO Chriſti MCCCCXIX. Comitia ordinis peracta ſunt Aſtæ in Inſubria duodecimo cal. Septembris, vbi Petro de Vena defuncto Prior generalis ſuffectus eſt Auguſtinus Romanus, vir ſanctus & doctus, qui ordinem rexit annis duodecim.

Fratres nonnulli attendentes ſanctitatem Auguſtini Romani Prioris generalis, effecerunt, vt non ſolum monaſteria quædam collabentia reficerentur, ſed & nouis Ordo ſedibus augeretur. Hinc Congregatio Peruſina, ſiue S. MARIAE de Populo.

Antonius de Nomis de Marciala Tuſcus, theologus, cum verſaretur in ſtudio librorum beati Auguſtini, ex eis quædam

capita omnem fere literarum diuinarum tractationem concernentia, decerpſit, librumque confecit, cui nomen eſt, Flores doctoris S. patris Auguſtini. Quod opus extat in bibliotheca noſtra Sanctiſpiritus Florentiæ, vbi etiam deceſſit an. 1438. & in periſtylio monaſterij ſepultus eſt hac monumenti inſcriptione. Diui eloquij cultor, pius M. Antonius de Nomis de Marciala, hoc gelido ſub marmore membra reliquit, cuius in æthereo mens alma triumphat olympo.

Richardus Pampolitanus Angloſaxo, vir ſinceræ pietatis & eruditionis, ſcripſit in Pſalterium compẽdioſam expoſitionẽ. Magna ſpiritualis iocunditas. Scripſit etiã libellum peculiarem in Pſalmum 20. Domine in virtute tua. Item, in Lectiones, quæ in ſuffragijs mortuorum ex 7. & 10. cap. Iob legũtur, lib. 2. In Threnos, eremiæ lib. 1. Threni, vt ait Hieronymus.

Ioãnes Caſſianus Suctitanæ eccleſiæ in inſula Sardinia, & Ioannes Adæ Sidonienſis eccleſiæ in Ruſſia epiſcopi, ſcientia & religione clarent.

Antonij duo, vnus de Amãdola Picenæ prouinciæ, alter de Corneto Romanæ prouinciæ, his temporibus inter mortales pie ſancteque degentes, euidentiſſimis miraculis claruerũt.

Petrus Robini epiſcopus Hipponenſis & doctrina & ſanctitate in Gallia plurimum valet, cuius ſermones ad populum extant Toloſæ in bibliotheca ordinis.

Bertoldus Ratiſponenſis philoſophus & theologus, & academiarum ordinis per Germaniam diligentiſſimus regens, ſcripſit in Magiſtrum ſententiarum, & in libros Ariſtotelis de Anima, quæſtiones notabiles, quæ in multis bibliothecis Germaniæ componebãtur.

Bartholomæus Vrbeuetanus, Gratianus Florentinus, Chriſtophorus Bononienſis, Lucas de Offida, & Boethius de Tolẽtino, theologi præſtantiſſimi, & in academijs ordinis per Italiã doctores regentes, hoc ſæculo in pretio exiſtunt, ſuasque lectiones ediderunt, vt in multis membranis in bibliothecis ordinis repertis annotatum inueni.

Monaſterium Pacẽſe in Hiſpania, cum antea foris eſſet, ſan

ctaque Maria diceretur, hodie in vrbe ſancti Auguſtini titulo fabricatur.

Anno 1425. Conuẽtus celebratus eſt Bononiæ duodecimo cal. Iunij, in quo idem Auguſtinus Romanus Prior generalis confirmatur. In his comitijs Andreas de Bilijs Mediolanenſis, theologus eximius, longam & accuratam habuit de ordinis diſciplina orationem.

Anno 1429. Paulus Venetus, quem alij Cretenſem vocant, theologus ac philoſophus celeberrimus, cum eſſet Prouincialis præſes, ac in gymnaſio Patauino vt humanas diuinaſq. litteras publice profiteretur accerſitus, ex hac vita deceſſit. Cuius corpus Patauij in ſacrario Eremitarum conditum fuit hoc epitaphio marmoreo. Hic iacet ſacræ theologiæ doctor clariſſimus, & theologorũ monarcha M.F. Paulus de Venetijs ordinis eremitarum S. Auguſtini, qui obiit anno Domini 1429. die quintadecima menſis Iunij. Quæ vero ſcripſit, hæc ſunt,

Contra Iudæos, lib. 1.
Sermones de tempore, lib. 1.
Sermones de Sanctis, lib. 1.
Sermones de Quadrageſima, lib. 1.
De conceptione Virginis, lib. 1.
De Incarnatione Dei, lib. 1.
De excellentia verbi Dei, lib. 1.
Super Sententijs, lib. 4.
Super libros Phyſicorum, lib. 8.
Super libros de Gener. & Corrup. lib. 2.
Super libros de Anima, lib. 3.
Super Metaphyſica, lib. 12. Tecum ſapientiſſime. Qui libri Patauij in bibliotheca ordinis aſſeruantur manuſcripti.
Summa philoſophiæ naturalis, lib. 6. Plurimorum aſtrictus precibus.
De Compoſitione mundi, qui Aſtronomiæ ianua nuncupari poteſt, lib. 1. De circulis cõponentibus mundũ.
Super librum Porphirij, lib. 1.

Super Prædicamenta, lib. 1.
Super libros Poſteriorum lib. 2.
Logica Parua.
Logica Magna.
Quadratura.
Super conſequentijs Strodi.

Ad compendium retulit doctas Ioannis de Ripa doctoris ſolemnis in Primum ſententiarum librum explicationes. At Iacobus Bergomenſis mentionem faciens de hoc viro egregio, inter cetera enarrat, quòd nominatiſſimus in vniuerſa Italia eſt habitus, eoquod cunctos dialecticos, philoſophosque ac ſuæ ætatis theologos ſine controuerſia ſuperaſſe viſus eſt, atq; etiã tã quam alter Apollo poſt ſe futuros philoſophos ſuæ incredibliis ſapientiæ lacte nutriuerit. Qui niſi immatura morte præuentus fuiſſet, omnes anteceſſores ſcriptores tam philoſophos quàm theologos ſuo ingenio, ſuiſque ſcriptis profecto ſuperaſſet. Hæc Iacobus. Peruſij in periſtylio monaſterij S. Auguſtini, ſuum extat ſimulacrum opere lateritio ſequenti elogio:

Hic Venetus doctor Paulus celeberrimus olim,
Qui valuit ſolus viribus ingenij.
Plurima qui logicæ valuit volumina docte
Edidit, & rudibus prodidit eius iter.
Cerberеam rabiem Porcarij & abſtulit ipſe,
Abſtulit & pluries bellica palma canit.
Sed poſtquam ſumpſit ſibi commentaria chartis
Pangere marmoreis, occidit ipſe pater.
Candida de hinc totum vulgata eſt fama per orbem
Doctoris ſplendor, gloria, cultus, honos.

Anno 1430. Martinus Quintus Pont. Max. cõcedit Ordini noſtro corpus beatæ Monychæ matris S. Auguſtini, transferens illud de Oſtijs Tiberinis ad Vrbẽ, in eccleſiã S. Triphonis.

Martinus epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Vniuerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutẽ & Apoſtolicã benedictionem. Pia charitas atque deuotio qua ex chriſtianæ profeſſionis & paſtoralis officij debito Sanctorum reliquijs affi

cimur

cimur, nos impellit, vt circa ſacrarum Reliquiarum conſeruationem, earumque venerationem, omni ſtudio & diligẽtia inuigilemus, quò fides noſtra, ſine qua nemo ſalutem conſequi poteſt, in magnitudiuem ſuæ maieſtatis conſeruari, & ſpirituale incrementum ſuſcipere valeat. Nuper ſiquidem venerabili fratre noſtro Petro Epiſcopo Electenſi, apoſtolicæ Cameræ Sacriſta & Confeſſore noſtro, pro parte dilectorum filiorum Auguſtini de Roma Prioris generalis, & vniuerſorum fratrum ordinis eremitarum S. Auguſtini, cuius ipſe epiſcopus etiam ꝓfeſſor exiſtit, nobis ſupplicante, corpus beatæ Monicæ S. Auguſtini matris, ex certis pijs reſpectibus & cauſis, præſertim quia corpus dicti Sancti ipſius ordinis fundatoris in quadam eccleſia Papienſi dicti Ordinis venerabiliter prout decet reconditum exiſtit, à loco ciuitatis noſtræ Oſtienſis vbi ſepultum & reconditum fuerat, ad eccleſiam domus Fratrum dicti ordinis de Vrbe transferendi, & in ipſa eccleſia recondendi & ſepeliendi licentiam conceſſimus: cuius conceſſionis auctoritate præfatũ corpus in dicta eccleſia debitis cæremonijs & cõdigna reuerẽtia, ibidem die nona Aprilis, quæ fuit Dominica Palmarum tranſlatum & reconditum extitit. Nos itaque, epiſcopi, prioris, & fratrum prædictorum deuotionem huiuſmodi religioſis perſonis conuenientem, approbantes, atque conſiderantes, quòd ob Tranſlationem prædictam de ſanctitate huius corporis maior apud Chriſtifideles notitia haberi poteſt, quàm ſi in quouis alio loco reconditum fuiſſet; Traſlationem & repoſitionem huiuſmodi caras habentes & gratas, eas ex certa ſcientia, authoritate apoſtolica, tenore præſentium confirmamus: & vt erga dictam ſanctam Monicam magis inflammetur fidelium ipſorum deuotio, quaſi patulo præconio ad omnium notitiam deduci volumus per præſentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario cõtraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud SS. Apoſtolos, v. Kal. Maij, Ponti

ficatus

ficatus noſtri Anno XIII.

Anno 1430. pridie nonas Iunij, coacta ſunt ordinis comitia in Montepeſſulano in Gallia Narbonēſi, vbi eidem Auguſtino Romano magiſtratus denuo prorogatus eſt.

Ioannes Rochus Portius Papienſis, theologus, cernēs multis in locis, in ea potiſſimum Italiæ regione, quæ à ſcriptoribus Ciſalpina Gallia nominatur, ordinem à primæuis inſtitutis ſublapſum fuiſſe, innixus authoritate & prudentia Auguſtini Romani Prioris generalis, cœpit eum (adiunctis ſibi Ioanne Nouarienſi & Gregorio Cremonenſi theologis grauiſſimis) in meliorem formam reducere. Qui tandem effecit, vt nō ſolum ordo vbi expediebat, inſtauraretur; ſed & per vniuerſam ferme Italiam nouis & ampliſſimis ædibus plurimum illuſtraretur. HINC Congregatio Lombardiæ. Is Ioannes Rochus cū eſſet in multis ſcientijs eruditus, ſuique ſeculi cōcionator egregius, multas ad cōcionatorum eruditionem ſcripſit homilias, præſertim in Euangelia, quæ ī Dominicis Aduentus, & diebus Quadrageſimæ in eccleſia recitantur. In libros quoque Sententiarum, & in omnes diui Pauli epiſtolas, multa edidit volumina, quæ viri doctrinam ac vitæ integritatem præſeferunt. Mantuæ tandem leui morbo obijt ſenex, & in loco noſtro S. Agnetis ſepultus eſt.

Gabriel de Garofolis Spoletinus, theologus & cōcionator egregius, aduerſus Fraticellos de opinione peſtiferos, edidit tractatus plurimos & celeberrimos. Scripſit quoque Sermones ſuper Euangelijs, quæ in ferijs Quadrageſimæ, Dominicis & alijs feſtis in eccleſia recitantur. Hic dum Venetijs cōcionibus operam daret, in S. Mariæ de Nazareth tunc noſtri ordinis loco, vbi interdum maioris otij cauſa ſe recipiebat, multos nobili genere natos ad rerum diuinarum cōtemplationem traxit & duxit, ex quibus ea deinde effecta eſt Cōgregatio, quæ hodie Venetijs, Canonici regulares Sāctiſpiritus nuncupātur, quorum nonnulli ad patriarchatum Venetum aſſumpti ſunt. Spoletij in templo noſtro S. Nicolai ſepultus iacet hoc tetraſtico:

Gabriel antiſtes ſacra diademate fulgens

Scri-

Scriptura toto quondam celeberrimus orbe
Librorum textor, ſtudiorum feruida lampas,
Hoc tegitur tumulo conditus exiguo.

Ioannes Stringarius ſcripſit ſuper Quatuor libros Sententiarum, cuius meminit Vincentius de Bandelis de Caſtronouo Dominicanus, in diſputatione de Conceptione Virginis, his verbis. Ioannes Stringarius doctor theologus ordinis eremitarum S. Auguſtini, in 3. ſent. diſt. 3. dicit, quòd beata Virgo non fuit ſanctificata ante infuſionem animæ, nec in inſtāti infuſionis, quia tunc peccatum originale contraxit, ſed fuit poſt animæ infuſionem ante natiuitatem ſanctificata, & fomes peccati ligatus.

Ioannes Louue, egregius doctor, & epiſcopus Roffenſis, natione Anglus, his temporibus, præſertim apud Anglorum Regem Henricum Sextum, cui erat a conſilijs, celebris habebatur. Is (vt tradit Lelandus) in Vuigornienſi comitatu natus, & Auguſtinianæ profeſſionis in Vuichienſi conuentu cœnobita à teneris annis bonarum artium ſtudioſiſſimus fuit. Maturioribus vero annis publicas academias frequentauit, vnde & nomen dignitatemque facile adeptus eſt, vſque adeo, vt in doctorum relatus numerum hominibus ſui ordinis quorum numeroſa ſocietas erat, Londini & in tota Anglia merito præficeretur, & famam ſuam alioqui ſatis notam, notiorem redderet. Auguſtiniani quippe illum magnifice prædicant, opuſcula ſcripſiſſe quædam purgatis auribus digna. Illud interim mihi conſtat, fuiſſe eum longe diligentiſſimum veterum exemplariorũ exquiſitorem. Bibliotheca enim, quam magnificam Londini in ſuo inſtituit monaſterio, fidem in hac parte meam vehementer comprobat. Anglorum rex Henricus Sextus, huius cum literas tum virtutes tam magnifecit, vt cum primo Fani Aſaphi inter Eluium & Clutam celebres fluuios poſiti, epiſcopum deſignaret, deinde & pontificatum Roffenſem ſuperadderet. Scripſit autem.

Sermones coram rege, lib. 1.
Conciones per annum, lib. 1.

Lecturas

Lectuፈuras ordinarias, lib. 1.

Temporum hiſtorias, lib. 1.

Diſputationes theologicas, lib. 1.

Nonnullaque alia ſcripſiſſe fertur: ſed ego ab illo amplius editum legi nihil. Roffæ demum obijt, & in ſua eccleſia ſepultus creditur. Hæc Ioannes Lelandus.

Ioannes Brome Anglus, theologus (Lelando referente) primæ theologiæ claſſis, dies atque noctes ſe in diuerſis bonarum literarum ſtudijs occupabat. Et vt ſuo atque aliorum ſimilia diſquirentium appetitui famelico ea in re ſatius & abundantius inſeruiret, bibliothecam inſignem in amœniore ſui cœnobij loco condidit, rariſſimis illam offerciens libris. Cœnobium illud Gorleduni aliàs Gorleſtoni Sudouolgiæ pago eſt, è regione oſtiorum Garieni fluminis vulgo Iernemuthe poſitum. Scripſit Bromius quorundam chronicorum indices. Sermones aliquot. Directoriaque ſeu tabulas (vt vocant) aliorum ſcriptis, per totam ferme bibliothecam illam docte ac laborioſe addidit. Gorleſtoni tum demũ obijt, homo eruditus & pius, anno ſalutis 1449.

Anno 1431. Auguſtino Romano Priori generali ad epiſcopatum Nazianzenum deinde Ceſenenſem aſſumpto, Vicarius ordinis ſufficitur Gerardus de Arimino theologus, qui titulo Vicarij tribus annis præfuit.

GERARDVS ARIMINENSIS P. G.

ANNO Chriſti MCCCCXXXIV. Coacta eſt Synodus Mantuæ decimoſeptimo calendas Iunij, vbi Gerardus Ariminenſis Vicarius in Priorem generalẽ electus eſt, qui ordinem rexit annis nouem.

Monaſterium Domus Sanctorum de Villa Nubla iuxta oppidum Valliſoletum in Hiſpania, opera F. Ioannis de Alarcõ, quem ob ſuam eruditionem vitæque probitatẽ Ioannes Secundus Hiſpaniarum rex plurimum venerabatur, Eugenio Quar-

to Roma-

to Romano Pontifice aſſentiente, Ordini donatur.

Monaſterium de Arenas titulo S. Mariæ noſtræ Domnæ in Hiſpania, opera & impēſis Iacobi Abulēſis epiſcopi ædificatur.

Monaſterium Ceruarienſe in Hiſpania à Ferdinando de Velaſco Eugenij Quarti Pont. Max. conceſſione fundari cœptū.

Monaſterium S. Auguſtini Cremenſe, omnium pene in Italia nobiliſſimum, ex pecunijs teſtamento Thomę Vicomercati Cremenſis acceptis, diligentia FF. Ioannis Rochi Papienſis, & Bartholomæi Cazuli Cremenſis extruitur. Hæc non eſt prima in oppido Crema Auguſtinianorum eremitarum ſedes, cū antea quoque annis ferme ducentis noſtro Ordini conceſſæ fuerint ab epiſcopo Placentino & confirmatæ ab apoſtolica ſede, Eccleſiæ S. Iacobi Maioris intra oppidum, & S. Bartholomæi foris, cum earumdem bonorum poſſeſſionibus, vt ex hiſtoria eiuſdem oppidi per Alemanium Finum ex annalibus Petri Terni collecta, latiſſime patet. Crema oppidum eſt nobiliſſimum ſub ditione Venetorum, triginta milliarijs abſens Mediolano.

Monaſterium S. Catharinæ in oppido Baſſiano ad Medoacrum fluuium inter Vincentiam Taruiſiumque poſito, Franciſci Normandini ciuis Baſſianenſis pecunijs teſtamentarijs, ædificari cœptum eſt. In quo primum inhabitarunt Alouiſius & Ludouicus Sauonarolæ theologi, qui locum poſtea quibuscunque potuerunt rebus adauxerunt.

Anno Domini 1436. Congregatio S. Mariæ Montis Ortoni in agro Patauino, opera venerandi patris fratris Simonis Camertini, cœpta eſt. De eccleſiæ autem & cœnobij extructione ita in libro de antiquitate vrbis Patauij Canonicus Scardeonius commemorat. Extructum eſt (inquit) ſuperioribus annis à fundamentis ſpecioſum templum & inſigne monaſterium ad radices Montis Ortoni iuxta fontem aquarum feruentium, ædificijs, donarijs & maxima aduentantium quotidie populorum frequentia glorioſum, & admirabili auſpicio, & miro quodam initio Deiparæ Virgini conſecratum. Etenim à partu Virginis an. 1428. Petrus Falzonius, homo ruſticus ei loco vicinus, cū grauiſſimis cruciaretur vlceribus, & nulla medicorum remedia

ſibi proficerēt, contulit ſe eò ad balneum iuxta radicem mōtis, in quo quotidie plagas ſuas ſalutari aqua certis horis diei foue bat, adienſque interdum fontem alterum paulo inferius è ſubterraneo montis ſpecu ſcatentem, illic aqua gelida ſeſe abluere, & potu reficere ſolebat. Huic ibi oranti ex improuiſo viſã eſt offerre ſe Virgo Maria ſupra omnem humanæ pulchritudinis formam ſpecioſiſſima, à qua viſus eſt moneri, vt ſibi eodē loco templum extrueret, vbi tabellam ſua inſignitam effigie ĩuenirct, & quòd ſtatim priſtinam erat incolumitatem corporis accepturus. Quod ei in ipſo tēporis momento contigit. Is autē confeſtim & oraculū & miraculum iſtud cōfidenter prædicare cœpit, & inuentā Virginis imaginem cunctis oſtendere, & incolumitatem ſibi ab vlceribus repente redditā palam facere. Vnde breui approbato per Petrum Donatum Venetum tunc noſtræ vrbis epiſcopum miraculo, concurſu populorum vndiq; facto, magniſque atque innumeris in dies frequentatis miraculis, templum conſtrui cœptum eſt, & locus qui prius incultus & ſylueſtris prorſus fuerat, amœniſſimus factus. Subinde & ſacra ædes ſpecioſiſſima erecta, & monachis eremitanis inſigne cœnobium fabricatum, & in hunc diem tanta populi frequentia diebus ſingulis & præſertim feſtiuis, ſalutantium ac vota exuoluentium celebratum, vt nullus in vrbe quantũuis ſacer locus adeuntium populorum frequentia aut deuotione ſit huic meritò conferendus.

Anno 1439. Comitia ordinis celebrata ſunt Peruſij nono calendas Iunij, vbi idem Gerardus Prior generalis cōfirmatus eſt. Hoc etiam eodem anno decimo calendas Decembris, finitur œcumenicum Concilium Florentinum, in quo idem Prior generalis adfuit & ſubſcripſit.

Anno 1440. Petrus Aſſalbitus Electenſis epiſcopus pænitētiarius, ſacriſta, & bibliothecarius maximorum Pontificum, cū vixiſſet in eiſdem officijs annis fere quadraginta quinque, tandem ſua in patria, vbi ſenio confectus ſe receperat, animam egit: in eius locum ſuffectus Rodulphus Caſtellanus, qui deinde creatus eſt epiſcopus Caſtellanus: fuitque pænitentiarius,

ſacriſta,

ſacriſta,& bibliothecarius Eugenij Quarti,Nicolai Quinti,Caliξti Tertij, & Pij Secundi Romanorum Pontificum.

Anno 1442. Carolus Sfortia de Attendulis de Cotiniola Franciſci Sfortiæ Mediolanenſium ducis frater, in Monaſterio S. Saluatoris Syluæ lacus Senenſis diœceſis, inſtituta & habitum noſtri ordinis aſſumpſit,& profeſſus eſt: qui ibidem laudabilem vitam agens poſtmodum, anno ſcilicet milleſimo quadringẽteſimo quinquageſimo quarto, Mediolanenſis archiepiſcopus creatus eſt.

Henricus de Gauda Theutonicus,theologus in ſcripturis ſanctis magnifice eruditus, diſputator ſcholaſticarum quæſtionũ acutiſſimus, & in gymnaſio Heydelbergenſi facile princeps, ſcripſit ſuper Primum Sententiarum. Fons hortorum puteus. De celebratione Miſſæ, lib. 1. Orationes varias, lib. 1. Quæſtiones diſputatas, lib. 1.

Gregorius de Alexandria theologus, tantum hoc tempore in habendis concionibus valuit, vt alter apoſtolus diceretur. Qui inter cetera ſuæ doctrinæ monumenta, Sermones elegantes atque copioſos reliquit,qui Peruſij in monaſterio noſtro S. Mariæ Nouellæ aſſeruantur, ſuntque conciones pro Quadrageſima & Feſtis totius anni, duobus voluminibus diſtinctæ.

Fanciſcus de Nerli Florentinus theologus percelebris, reliquit inter alia ſuæ eruditionis opuſcula, librum,quem vocauit Summam de rebus diuinis: aliumque, De virtutibus & vitijs. Qui extant Florentiæ in bibliotheca noſtra Sanctiſpiritus. Sũma de virtutibus & vitijs incipit: In natiuitate paupertatem & humilitatem,in medio obedientiam & laborem, in fine patientiam & charitatem. Hic Nerlius, primus omnium theologorum autoritate collegij Florentini doctorum inſignia & ſtemmata cum ſummo totius Senatus ac populi applauſu in diuæ Reparatæ ædibus eſt adeptus.

Andreas de Bilijs Mediolanenſis, philoſophus, hiſtoricus, & theologus celeberrimus, ac in vniuerſa Italia nõ ſolum eruditione, ſed & probitate & grauitate morum admirabilis, cũ Latinam, Græcam, atque Hebraicã linguas optime calleret,

 ad mul-

ad multorũ etiã eruditionẽ complurima edidit opuſcula. Incipiens etenim ab ipſa Grammatica, in omnibus liberalibus diſciplinis, atque in theologia & philoſophia tractatus plurimos extantes non ſolum doctos, ſed & elegantes conſcripſit. Qui quanti fuerint abſque noſtro teſtimonio ipſi perpulchre oſtendunt. Ambroſius Coranus ait, quòd in arte Oratoria alter Cicero, in Philoſophia ſecundus Ariſtoteles, in Theologia patris Auguſtini pediſequus perfectus erat. Quæ vero Mediolani in bibliotheca noſtra S. Marci ſingulatim vidi, ac per titulos legi, hæc ſunt:

Exordia ſuper practica Rhetorices, lib. 3.
Orationum & epiſtolarum, lib. 2.
Grammatices, ſiue de octo partibus orationis, lib. 8.
De arte dicendi, lib. 3.
Expoſitio ſuper Vniuerſalia Prophyrij.
Expoſitio ſuper Perihermenias Ariſt.
Hiſtoriarum Langobardorum, lib. 1.
Querelæ pacis, lib. 1. Etiã iam ne me ex omnibus terris.
De pace cum Philippo duce Mediolanenſium componẽda ad Alphonſum regem Aragonum, lib. 1. Si vt pleriſque, hac præſertim hominum ætate.
Pro ſuſcipienda in Boemos expeditione, Iordano Vrſino Cardinali, lib. 1. Nihilputo inane pro hac mea cura.
P. de Luna. Paniſcholaria ad Alphonſum regem Aragonum aduerſus ſchiſma Benedicti, lib. 1. Nullo pacto adduci poſsũ.
De concordia & meritis ordinum, ſuper generali indulto Alexandri Papæ V. ad Reginaldum Rhemerſem archiepiſcopum, lib. 2. Multum pater honoratiſſime.
De diſciplina ordinis admonitio habita in Capitulo Bononienſi, lib. 1. Neminem puto.
Admonitio ad F. Manfredum Vercellenſem ordinis fratrũ Prædicatorũ, lib. 1. Nolo aut tu, aut quiſquam.
Ad Barcinonenſes de littera H. in nomine IHS. omnes vt exiſtimo.
De conceſſione & translatione beatæ Monychæ matris beatiſſ.

beatiſſ. Auguſtini, Sermo. Gaudeo mihi quoque.

De ordinis noſtri propagatione ad fratrem Ludouicum, lib. 1. Non ſane videtur.

De pace & victoria Ro. Eccleſiæ, ad Nicolaum Bononienſem ex Ciſtercienſi ordine Rom.eccl.Cardin.lib.3. Non poſſum pater optime.

Commentarij hiſtorici de detrimento fidei Orientis, ſiue de origine Turcharum ad Ioannem Cardinalem & epiſcopum Rhotomagenſem. Factus ſum per hos dies.

De amore & magnitudine Crucis, ad Nicolaum Bononienſem Cardinalem. Vbi te inueniam Deus meus.

De non neceſſario mortis metu, lib. 1.

Hiſtoriarum Mediolanenſium, lib. 1.

De inſtitutis diſcipulis ex doctrina fratris Bernardini de Senis ordinis Minorum, lib. 2. Forſam quidem ego nequaquam.

Super Primum Sententiarum. Quoniã in hoc procemio.

Expoſitiones in quatuor Euangelijs, lib. 4.

Hexemeron ſiue de mundo ſex diebus condito. Principium hoc immenſi voluminis.

Commentaria ſuper libros Ariſt. de Anima, lib. 3.

Commentaria in libris de Cœlo & mundo, lib. 4.

Quæſtiones in libros de Anima, lib. 3.

Quæſtiones in lib. Phyſicorum, lib. 8. Omnis hic labor meus.

Quæſtiones Metaphyſicorum, lib. 12. Authoritas ſane plurima eſt Ariſt.

Sermonum diuerſarum materiarum, lib. 3.

Dominicale & Feſtiuum, lib. 2.

Annotationes in Euangelia Quadrageſimæ. Quãtum ſim hoc opere profecturus neſcio. Interpretatus eſt quoque ex Græca in Latinam linguam, Ariſtotelis, lib. 8. phyſicorum, lib. 3. de anima, lib. 10. ethicorum. Ferunt hunc tantæ memoriæ tenacitatis fuiſſe, vt quidquid bis vel legiſſet, ſtatim memoriæ commendauerit. Qui tandem cum Chriſti eccleſiam, noſtrũque ordi-

que ordi-

que ordinem & ſcriptis & prædicatione & exemplo plurimum iuuiſſet, apud Senam Hetruriæ vrbem, valde ſenex beato fine quieuit, & noſtra in eccleſia S. Auguſtini ſepultus iacet.

Anno 1443. Auguſtinus Romanus epiſcopus Nazianzenus & Ceſenenſis, ex hac vita diſceſſit multis illuſtribus & glorioſis ſuæ ſanctitatis indicijs. Innumera pene & ipſe (vt S. Auguſtinus) edidit opera. E quibus extant,

Super Primum Sententiarum volumen grande, quod deinde in compendiũ redegit Guilelmus Becchius Florentinus.

In omnes diui Pauli epiſtolas, lib. 14.

In epiſtolas Canonicas, lib. 7.

In Apocalypſim Ioannis, lib. 1.

De libero arbitrio, lib. 1.

De peccato originali, lib. 1.

De Sacramento vnitatis Chriſti & Eccleſiæ, lib. 1.

De charitate Chriſti erga electos, lib. 1.

De perfecta iuſtitia militantis eccleſiæ, lib. 1.

De meritis Chriſti, lib. 1.

De ſacerdotio Chriſti & Electorum, lib. 1.

De poteſtate Papæ, lib. 1.

Super libros Ethicorum Ariſt. Et alia multa, quæ ad notitiam meam non venerunt. In oppido Prato, quod non longe à Florentia diſtat, eius corpus in quadam capſa recõditum in templo noſtro S. Auguſtini venerabiliter cuſtoditur.

IVLIANVS DE SALEM P. G.

ANNO Chriſti MCCCCXLIII. Conuentus habitus eſt Senis in Hetruria, in quo cum Gerardus Ariminenſis ſe magiſtratu abdicaſſet, Prior generalis eligitur Iulianus de Salẽ Siculus theologus, qui præfuit annis quindecim.

Monaſterium monialium Cremenſe titulo S. Monychæ, à quibuſdam virginibus de Bolzinis, de Ternis, & de Zorlis, ſtudio fratris Auguſtini Cazuli Cremenſis, extrui cœptum eſt, cuius poſtea adeo creuit exiſtimatio, vt in eo centũ & amplius

conti-

continue Deo ſacratæ virgines alerentur.

Bernardus de Martellinis Florentinus theologus creatur epiſcopus Ceſenæ, & Guilelmus Vercellenſis, epiſcopus Nicomediæ. Nec dubium eſt, quin aliorum exemplo multa ſcripſerint, quamuis nihil eorum ad meam notitiam peruenerit.

Iacobus Aquitenſis theologus & concionator egregius, ac Reginæ Ioannæ Ladislai regis ſororis cõſiliarius & orator, Romæ his diebus deceſſit, & in eccleſia S. Auguſtini pene altare maius ſepelitur.

Matthæus Luthus Senẽſis epiſcopus Calcedonenſis, his diebus obijt Senis, & in templo. S. Auguſtini ſepelitur monumẽto marmoreo effigie ſua & litteris ſui nominis inſculpto.

Dionyſius Florentinus, qui in Academia Bononienſi philoſophiam Ariſtoteleam longo tempore profeſſus eſt, ſcripſit in Ariſtotelis libris, qui Parua naturalia nominantur, commentarios, qui hodie cuſtodiuntur Piſauri in monaſterio Ordinis.

Ambroſius Florentinus ab inſigni pietate Homo Dei cognominatus, edidit valde vtiles ſermones, quos vocant Quadrageſimales, qui Florentiæ extãt in bibliotheca noſtra Sãctiſpiritus.

Franciſcus Mellinus cognomẽto Zoppus Florentinus vir doctus & multum religioſus, ac in cõcionibus ad omnem memoriam commendandus. Cuius opera noſtrum Sanctiſpiritus tẽplum ſane magnificum Reipublicæ impenſis conſtrui atque ædificari cœpit, Philippo Brunelleſco architecto nobiliſſimo.

Georgius Cremonenſis, vir certe non ſolum eruditione, ſed omni probitate ac ſanctimonia præclarus, Mediolani floruit, vbi tandem Prior apud Coronatã monaſterium noſtrum exiſtens, ex hac vita diſceſſit. De quo etiam fit mentio in nonnullis manuſcriptis & impreſſis martyrologijs huiuſmodi verbis: Mediolani in monaſterio Coronatæ, depoſitio beati Georgij Cremonenſis, qui vitæ ſanctitatis & miraculorum gratia inſignis fuit.

Ioannes Nouariẽſis prudentia & ſanctitate clarus, apud Bergomum in monaſterio noſtro, quod pulcherrimis ædificijs celeberrimum reddiderat, innumeros pene adoleſcentes Chriſti ſeruitio mancipauit, inter quos & Iacobum Philippum, qui li-

brum

brum edidit titulo, Supplementum chronicorum, prænotatū. Vbi tandē obijt, & magna populi veneratione ſepultus eſt.

Anno 1445. Eugenius Quartus Pont. Max. cum animaduerteret Fratres ordinis, qui de Obſeruantia cognominabantur, facere aliquid & moliri, quod ſciſſuram in Ordine importare videretur, Romam conuocat apud locum S. Mariæ de Populo Vicarios, Rectores, & Priores quarumcunque ſocietatū noſtri ordinis de Obſeruantia nuncupatarum, vt congregati ibidē celebrent comitia, in quibus rectores locorum & fratrum eligant, qui immediate ſubſint Priori generali, ſtatutaque & diffinitiones faciant, adhærente conſilio, prudentia, & voluntate Iuliani de Salem Prioris generalis.

Anno 1446. Eugenius Quartus Rom. Pontifex, beatum virum Nicolaum de Tolentino ſanctitate & miraculis clarum in Sanctos retulit, feſtūque eius quarto idus Septemb. quo Sāctus ipſe migrauit ad Dominum, ſolemne inſtituit. Dat. Romæ apud S. Petrum, kal. Februarij, Pontific. an. 16. Hic ſanctus confeſſor Nicolaus, qui ſub Romanis Pontificibus Alexandro Quarto, Vrbano Quarto, Gregorio Decimo, & Martino Quarto, ſanctitate & miraculis claruit, ineunte adoleſcentia ſe in Ordinem dedit. In quo mundanis omnibus delicijs renuncians, crebris orationibus, vigilijs, ac ieiunijs corpus affligebat. Vinum atque omne genus opſonij reijciens, pane frigidaque contentus vixit. Præterea cingulo è durioribus animalium pilis contexto, quo ſubtus veſtē perpetuo vtebatur, & ſpineis ferreiſque loris carnem ſæpius macerans, ſe vehementer extenuauit. Duro atque aſpero lectulo breuiſſimum ſomnū capiebat. Diabolicas tentationes omnino multas pertulit, multis nonnūquam etiam cæſus verberibus. Nec tamen vnquam à ſancto ꝓpoſito vel tantillum deflexit. Omne vitæ tempus legendo, orando, contemplando, infirmos viſitando fere conſumpſit. Peccatores arguebat, nonnunquam blandis ac dulcibus ad pœnitētiam verbis reuocabat. Fuit & prophetiæ ſpiritu præditus, multa enim antequam fierent prædixit. Chriſtum Dominum in Altaris ſacrificio pueruli ſpecie ſæpius contēplatus, arcana multa

ac de

ac de cæleſti vita doceri ab eo meruit. Morbis plurimos, & dæmonibus obſeſſos liberauit. Frequentiſſimis vero miraculis adeo enituit, vt poſt Apoſtolorum memoriam pauci admodũ ſancti viri eidem comparandi videantur. Poſt ſuam vero in Dño dormitionem, ſupplicantium vota iam ciuis cæleſtis benignus audiuit. Namq; infinitam languentiũ multitudinẽ priſtinæ valetudini reſtituit. Quare cum vbiq; gentium eius nomen inclaruiſſet, Ioannes Papa huius nominis Vigeſimus ſecundus, qui tum in Gallia Auenione ſedebat, illum in Sanctorum numerum referre vehementer optauit: ſed multis bellorum ac ſchiſmatum diſtractionibus impeditus, ac mox etiam morte præuentus, quod volebat perficere non potuit. Verum centũ & amplius poſt annis, cum Eugenius Papa Quartus, ab innumerabilibus, iiſque digniſſimis fide viris ſanctitatem eius, & miraculorum nullo tempore interrupto multitudinem ac magnitudinem cognouiſſet, celebrato œcumenico concilio Florentino, Armenis & Indis in fidei vnitatem coeuntibus, & inter Romanam & Græcorum eccleſiam pace demum conuenta, Romam reuerſus, beatum virum Nicolaum in Sanctos retulit. Nam à templo S. Petri cum omni clero publica ſupplicatione ad eccleſiam S. Auguſtini procedens, Miſſæ ſolemnia magno Cardinalium omnium & Prælatorũ conuentu, aſtante etiam populo Romano, idem Pontifex celebrauit, anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto, nonis Iunij, quæ fuit Pentecoſtes feria ſecunda. Poſt cuius canonizationem, celeberrimum maximumque illud miraculum extitit, quòd eccleſiæ Romanæ iam per annos amplius quinquaginta ſchiſmatum diſcidijs grauiter adfectæ, eius meritis & interceſſione, ſublati errores, & pax vniuerſæ Dei eccleſiæ præter ſpem ſummam conſecuta eſt. Itaque Eugenius Papa, qui eum ſingulari quodam ſtudio in Sanctorum numerum retuliſſet, eidem piam admodum ac memorabilem orationem huiuſmodi contextam verbis decantauit. CONCEDE quæſumus omnipotens Deus, vt eccleſia tua, quæ in fine ſeculorum ineffabili prouidentia, beati Nicolai confeſſoris tui virtutum & miracu-

lorum magnitudine coruſcat, ipſius meritis & interceſſione, eliminatis erroribus perpetua pace ac vnitate lætetur. Per dominum.

Anno 1447. Comitia peracta ſunt Bituris in Gallia Aquitanica, quinto cal. Iunij, vbi eidem Iuliano cura ordinis continuata eſt.

Anno 1450. Nicolaus Quintus Rom. Pont. omnia noſtra innouans priuilegia, illud expreſſe decernit, quòd de pie legatis nulli teneamur portionem canonicam exhibere.

Anno 1451. Conuentus habitus eſt Ferrariæ tertio nonas Iunij, in quo idem Iulianus Prior generalis iterum confirmatur.

Anno 1455. quarto nonas Maij, initio Pontificatus Calliſti Tertij, rurſum beatiſſimæ Monychæ corpus de templo S. Triphonis, in templum S. Auguſtini, quod cum antea eſſet deſolatum, magna ex parte erigi cœperat, ſummo cum honore transfertur, reconditurque in ſepulchro marmoreo, vbi hodie viſitur, quod Mapheus Vegius Laudenſis, poeta celebratiſſimus, conſtruxerat.

Anno 1456. Calliſtus Tertius Rom. Pon. concedit bullam de Confeſſionibus audiendis, in qua declarat illos omnes hæreticos eſſe, qui pertinaciter aſſerunt, confeſſos fratribus Ordinum S. Auguſtini, S. Dominici, S. Franciſci, & Seruorum beatæ Mariæ, iterum Parochiali curato oportere confiteri. Vultque eoſdem fratres, ſi curſus in Vniuerſitate Pariſienſi perfecerint, poſſe magiſterij inſignia à Cancellario dictæ Vniuerſitatis ſuſcipere. Romæ apud S. Petrum, x. calend. Aprilis, Pontif. anno 2.

Anno 1458. Beata Helena de Vtino, miraculorum frequentia illuſtris, ad Chriſtum migrat, quarto nonas Aprilis. Cuius vitam Iacobus Philippus Bergomenſis in libro, quem de claris mulieribus edidit, perpulchre deſcripſit.

Simon de Camerino concionator egregius, noſtræque Cógregationis Montis Ortoni fundator, hoc ſeculo illuxit: cuius opera an. 1454. inter Venetos & Mediolanenſium Ducem pax inita eſt. De hoc etiam Simone Raphael Volaterranus in An-

tropol.

tropol. lib. 22. mentionem faciens : Eiuſque tempore, ait, opera Simoneti pax inter Venetos & Franciſcum Sfortiam facta, vtque Alphonſi regis authoritas huic accederet, oratores principum ſimul & Dominicus Capranicenſis legatus ad eum profecti. Erat hic & ingenio vehemens, & libertate loquendi, quo olim Fauonius apud Romanos. At Egnatius lib. 2. de exẽplis illuſtrium virorum, ita ſcribit. Decertarant longo difficilique inter ſe bello Veneti & Franciſcus Sfortia Mediolanenſiũ dux, quos ad ineundam pacem neque Pontificis Maximi authoritas, neque Regum, Principumque Italiæ preces flectere vnquam potuere, cum Simonetus Camerinas ex eremitica familia, Sfortiæ duci familiaris & notus, & Venetijs quandoque commoratus, negotium hoc ſuſcepit. Erat autem hic propter vitæ ſanctitatem in ſummo cultu & veneratione. Venetijs igitur ſoluens, Mediolanumque profectus, tentato prius Sfortiæ ducis animo, cui ille negare nihil eſt auſus, ſtatim Venetias redit: Principe igitur & patribus ipſis facile perſuaſis, pax inter eos inita eſt, vnde hodie Cœnobium in ſtagnis Murianum petentibus extat, diuo Chriſtophoro dicatum, perpetuoque P A C I S nomine dictum : tantum recta religio, veraque pietatis cultus in mortalium animis ſæpe valet. Hæc Egnatius. Obijt in conuentu noſtro S. Mariæ Montis Ortoni extra mœnia ciuitatis Patauinæ, die 9. Martij 1478. ætatis ſuæ anno 86. & in eccleſia ſepultus iacet, vbi legitur. Oſſa reuerendi patris fratris Simonis de Camerino ordinis eremitarum S. Auguſtini, qui temporibus ſuis fuit corona prædicatorum.

Templum ſane magnificum S. Mariæ Campiſancti in oppido Cittadella à Patauio milliaribus ſexdecim abſente, conſtruitur. Vbi tabula marmorea conditur literis aureis obſignata, in qua de præfato Simone, deque eius nobili & ante commemorato facinore ita legitur. Bello graui, maximeque omnium memorabili diu inter Venetos ac Franciſcum Sfortiam Mediolanenſium principem geſto, multis vtriuſque acceptis cladibus, vnius Simonis Camertis Auguſtiniani eremitarum effectum eſt, vt pace vterque populus denique frueretur, patres graui

auctoritate PACIS hac æde cum duobus præterea locis adiectis, dataque tributorum omnium immunitate, donarunt.

Ioannes Capgraue Anglus, omnium quos produxit Britannia theologorum nobiliſſimus, diuinarumque ſcripturarum amator ſingularis, hoc tempore maxima ſui præclari ingenij, eximiæque virtutis præbet experimenta. Is admodum adoleſcens pro vitæ ſuæ methodo Ordinis inſtitutum aſſumpſit: & libris perinde ac concha ſuis ſcopulis adhærens, ita ſenſim in literis profecit, vt poſt adeptum Oxonij doctoratum, Prouincialis in Anglia gubernator efficeretur. Philoſophus enim ac theologus ſua ætate præcipuus erat, ingenio etiam atque eloquio ſummo clarus. Scripturas diuinas vnice amabat, ſophiſtarum ſomnijs parum aut nihil tribuens, cum ſciret ex illis non alia generari quàm inutilium rerum quæſtiones. Illum præ alijs multis elegit pijſſimus eius temporis princeps Hunfridus Glocestriæ dux, illuſtriſſimi Henrici Quinti Anglorum regis frater, vt ſibi interdum eſſet à conſcientiæ colloquijs, ita vt quoties de animæ cura ſapientiſſimus dynaſtes cogitaret (frequentiſſime autem cogitabat) toties literatiſſimi Capgrauij prudentiſſimo conſilio vteretur. Porro nullus fuit ex Auguſtinianis ſcriptoribus quos produxit Britannia, cũ illo vnquam per omnia conferendus. Sunt hæc plane illuſtria eius doctrinæ teſtimonia, inter alia multa, quæ in pulcherrimis voluminibus ipſe orbi ſcripta reliquit. Primitus in gratiam ſui Mecænatis Hunfridi edidit,

Commentarios in Geneſim, lib. 1. Arduum nanque & ſuper vires eſt.
Super Exodum, lib. 1. Quia hiſtoriam.
Super Leuiticum, lib. 1. Occultiſſimorum myſteriorũ.
Super Numeros, lib. 1. Ex Nicolao de Lyra.
Super Deuteronomium, lib. 1. In hoc vltimo libro Moyſi qui.
In Hiſtoriam Ioſue, lib. 1.
In Iudices & Ruth, lib. 2.
In volumina Regum, lib. 4.

In Pſalte-

In Pſalterium, lib. 1.
In Eccleſiaſticum, lib. 1.
In Eſaiam prophetam, lib. 1.
In Danielem, lib. 1.
In xII. Prophetas, lib. 12.
Super Quatuor Euangelia, lib. 4.
Super Epiſtolas Pauli, lib. 14. Domino ſuo honorabili Hunfrido.
In Acta Apoſtolorum, lib. 1. Reminiſcor ſancte antiſtes.
In Apocalypſim Ioannis, lib. 1. Venerabili domino ſuo in Chriſto.
Manipulum doctrinæ Chriſtianæ, lib. 1. Inter cetera ocij mei ſecreta.
In Epiſtolas Canonicas, lib. 7.
De fidei Symbolis, lib. 3. Quoniam pſalmographus ait.
De nobilibus Henricis, lib. 3. Henrico Dei gratia regi Angliæ.
De Sequacibus Auguſtini, lib. 1. Teſtatur ille Græcorum eloquentiſſ.
Catalogum Sanctorum Angliæ, lib. 1. Sancti patres, qui priſcis fuere.
Super libros Sententiarum, lib. 4.
Determinationes theologiæ, lib. 1.
Ordinarias diſputationes, lib. 1.
Ad poſitiones erroneas, lib. 1.
Orationes ad clerum, lib. 1.
Sermones per annum, lib. 1.
Vitam Hunfridi ducis, lib. 1.
Lecturas ſcholaſticas, lib. 1.
Epiſtolas ad diuerſos, lib. 1.

Atque alia plura ſcripſit. Linnæ tandem Nordouolgiæ oppido vita deceſſit, die 12. Auguſti, anno ſalutis humanæ 1464. & ibidem inter Auguſtinianos ſepultus fuit.

ALEXANDER OLIVA P. G.

ANNO Chriſti MCCCCLIX. peracta eſt Synodus ordinis Tolentini in Piceno, quartodecimo calendas Iunij, in qua Iuliano defuncto ſufficitur Prior generalis Alexãder Oliua Saxoferratenſis Vmber, qui menſibus octo præfuit. Huic conuentui præſedit Guilelmus de Euſtouteuilla epiſcopus Oſtienſis Cardinalis Rhotomagenſis.

Anno 1460. Alexander Prior generalis, à Pio Secundo, S. R. E. presbyter Cardinalis creatus eſt. Hunc Alexandrum & humili loco & obſcuris parentibus ortum accepimus. Nam vicus quidam in agro Saxoferratenſi eius patria fuit, parentesq; magnam operæ partem in agris colendis ponere ſolebant: ob eamque cauſam ab ineunte ætate pertenuiter, atque in multarum rerum inopia, quæ ad vitam degendã ſunt neceſſariæ, educatus eſt. Tres autem annos natus cum ſolus vicum oberraret, in altum quendam fontem cecidit, nec quiſquam eius miſerabilem vidit caſum præter paruulam illius ſororem; quæ cum iam morienti puſillo fratri opem ferre non valeret, iniquam ipſius vicem magnis clamoribus lamentabatur. Quibus clamoribus & lamentis commota mulier quædam vicina accurrit, puerulumque, qui omnem fere ſenſum iam amiſerat, extractum è fonte, in caput, vt hauſta aqua per os exiret, ſuſpendit. Eò cum exanimata cucurriſſet mater, dulciſſimumque filiolum exanimem conſpexiſſet, ſe ſupplicem abiecit, beatiſſimæque Virginis Mariæ numen implorauit, ſi viuum ſibi paruulum redderet, eundem in perpetuum diuino cultui dicatum in familiam religioſorum virorum ſe tradituram. Non fuit huiuſce piæ mulieris vana imploratio atque petitio, propterea quòd cum vt mortuus aliquot horas puer iacuiſſet; cœpit magna cum admiratione eorum qui ob caſus acerbitatem conuenerant, aperire oculos, ac matrem inuocare: ſicque paulatim priſtinam valetudinem atque robur recuperauit. Ita duobus annis poſt, non immemor mater tanti accepti beneficij; volens beatiſſimæ Virgini ſatisfacere vnà cum patre puerum Deo dedentes, in familiam &

liam & diſciplinam eremitarum D. Auguſtini Saxoferrati tradiderunt. In qua quidem familia & diſciplina ita diligentem & aſſiduam, ita ſtrenuam nauauit omni deinceps generi ſcientiarum operam, vt in principibus Theologorum ætatis ſuæ numeraretur. Ex quo ſimul & Peruſiæ philoſophiā publice docuit, & multa cognitu digna conſcripſit. Nec vero minus illius cura & induſtria in morum ac vitæ approbatione, quàm in doctrinæ & ſcientiarum commendatione claruit. Tantus enim erat probitatis ſplendor, vt ſi cum doctrinæ comparabatur ſplendore, ab vtro magis illius nomen illuſtraretur, non facile diiudicari poſſet. Vnde dicere eum ſolitum ferunt: Difficilius quidem eſſe, ſed laudabilius, hominem fieri bonum, quàm doctum: vtilioremque & ſibi & alijs eſſe moribus præſtantem, quàm doctrina excellentem. Quamobrem ob præclaras eius virtutes, & ſummam vitæ integritatem, vniuerſo Ordini eremitarum D. Auguſtini præfectus eſt, nec multo poſt à Pio Secundo Pont. Max. in Cardinalium collegium cooptatus fuit. Quæ ſcripſit ſunt, De Chriſti ortu Sermones centum. De cœna cū Apoſtolis facta. De peccato in Spiritum ſanctum. Et alia, quæ quia ipſe morte ſublatus corrigere non potuit, ideo edita non ſunt. Obijt Tibure, & Romam delatus, in templo S. Auguſtini iuxta ſacellum S. Nicolai in ſepulchro marmoreo conditus fuit ſequenti epitaphio & tetraſticho.

> Alexandro Oliuæ Saxoferratenſi theologo clariſſimo, eremitarum beati Auguſtini ab infantia ſpei maximæ alumno. Qui cum eſſet ſui Ordinis Generalis, ob ſingularem doctrinam & vitæ ſanctimoniam Cardinalis à Pio Secundo ignorans creatus eſt. Vix. annis L V. Obijt anno Salutis M CCCCLXIII.

Vt tibi ſola dedit probitas, non gratia ſoli
  Digno Cardineum nomine reque decus:
Sic eadem indignis raptum dum tollit ad aſtra.
  Felix hoc inquit principe Roma foret.

De Cardinali Saxoferratenſi Ioannes Campanus epiſcopus Interamnenſis inter alia multa & mira in oratione funerea enar-

rat,

rat, quòd Romæ in ſacello quod domi ædificauerat, ſepulchrũ erigi clam iuſſerat in ſcrinij ſpeciem, ita vt aperiri facile poſſet. Intus imago inerat depicta Cardinalis mortui, iacentis eo habitu oris & veſtium, his lineamentis quibus ipſe erat, inſcriptumque in interiori latere ſepulchri: In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & non delinques in æternum. Id ſepulchrum ipſi neſciebamus, ſcrinium aut ſtipatorium rati. Pictor eo mortuo confeſſus eſt, ſe iure iurando adactum, ne cui patefaceret. Aperiebat autem, vt poſtea cognitum eſt, quoties oraret, ibique ſpeculabatur. Recitat quoque, quòd initio morbi interrogatus quo in loco vellet ſepeliri: Animã (inquit) iam pridem Deo voui; nunc corpus pio relinquo, vbi is volet, ibi me ſepelitote. Interrogatus etiam, numquid vellet mandari ſuis: Nihil (inquit) niſi vt boni ſint, & recte viuant. Cum iã certiſſima inſtaret mors, & ipſe incolumitatem deſperaſſet, dicentibus nobis, ne quid timeret: Quid (inquit) ego timeam, qui ad nuptias eo.

GVILELMVS BECCHIVS P. G.

ANNO Chriſti MCCCCLX. comitia coguntur Senis in Tuſcia quinto calendas Octobris, in quibus, Alexandro Oliua in Cardinalium collegium cooptato, in eius locũ Prior generalis ſubſtituitur Guilelmus Becchius Florẽtinus theologus inſignis, qui annis decem præfuit.

Ioannes Dathus de Imola epiſcopus Imolenſis, vir doctus & acerrimus diſputator, Egidianæque doctrinæ imitator & defenſor, ſcripſit de Attributis, de Priori & poſteriori, & de Potentijs animæ. Libros D. Auguſtini contra Fauſtum Manichæum, contra Creſconium Donatiſtam, & de Trinitate, in concluſiones reduxit. Iuuenis è vita deceſſit, Imolæque, quæ à Geographis Forum Cornelium nominatur, in templo cathedrario ſepultus iacet.

Chriſtophorus Piſaurenſis theologus & iuris pontificij peritia exornatus, librum Definitionum compoſuit, in quo breui explica-

explicatione propriam cuiuſque rei vim declarat. Tractatus inſuper duos edidit vtiles admodum, vnum de ſimonia, alterum quo declarat arborem gradus affinitatis & cõſanguinitatis. Scripſit præterea pulcherrimam in orationem Dominicam explanationem. Quæ omnia Piſauri in conuentu noſtro S. Augustini cuſtodiuntur.

Philippus Venetus theologus multum venerabilis, ſcripſit librum, cui titulus eſt, Eſtote parati, omnibus qui beatam vitã exoptant, valde fructuoſum. Extat Ferrariæ in bibliotheca noſtra S. Andreæ.

Alipius Carnianiola Taurinenſis, vir doctus, & in habendis ad populum ſermonibus ſui temporis alijs non inferior, Scripſit ſermonum volumina duo ſuper Euãgelia, & epiſtolas, quæ toto anno in eccleſia recitantur.

Iacobus Pratenſis Tuſcus theologus, edidit ſermones ſup Epiſtolas Dominicales ad petitionẽ venerabilis viri fratris Andreæ Bergomẽſis. Super qualibet epiſtola tres facit ſermones, incipiens à Dominica prima Aduentus. Scripſit etiam ſermones ſuper Euangelia Dominicalia, incipiens ſimiliter a Dominica prima Aduentus, hoc modo: Dominus legifer noſter, dominus & iudex.

Bernardus Sauonenſis theologus. Scripſit in omnes D. Pauli epiſtolas digna commentaria, quæ Ferrariæ cum eius quibuſdam ſermonibus in bibliotheca noſtra S. Andreæ cuſtodiuntur.

Laurentius Theutonicus Colonienſis, de quo non incõmode dicere quis poſſet vetus illud Poetæ.

Ingenio magnus, corpore paruus erat. his diebus ſua eruditione Gymnaſia Pariſiẽſia, in quibus multo tempore legit, docuit, & diſputauit, plurimum exornat. Ambroſius verò Coranus & Iacobus Bergomenſis, quæ Laurentius compoſuerit aiunt ſe propterea non referre, quia ea nondum in lucem dederat. Fuit Franciæ Prouincialis præſes, & monaſterij Pariſienſis moderator & prior, vbi tandem obijt an. Dom. 1493. die 22. Februarij.

Ioannes Bury natione Anglus, patria Clarenſis, Angliæ & Hiberniæ prouincialis præſes, & theologus ſatis luculentus. Nam cum hoc tẽpore epiſcopus quidam nomine Reginaldus Pecok ſuis peſtiferis libris de libertate Euangelij, de ſeculariũ poteſtate contra dotationem cleri, de æqualitate miniſtrorũ, de legibus & doctrinis hominum, de vtriuſque ſpeciei Communione, & alijs, vniuerſam Angliam contaminaret: is Ioannes ſtatim arripuit calamum, & ad Thomam Bourchierum Cantuarienſem archiepiſcopum, & S. R. E. Cardinalem, peracriter ſcripſit contra Reginaldum Pecokum, lib. 2. Sæpe vobis ouilique veſtro. Scripſit præterea in Lucam commẽtarios. Quæſtiones & Sermones. Ceterorum opuſculorum, quæ edidiſſe dicitur, titulos non vidi.

Anno 1463. Rodulpho Romanorum Pontificum pœnitẽtiario, ſacriſta, & bibliothecario defuncto, in eius locum ſurrogatur Ioannes Senenſis theologus, qui primum fuit epiſcopus Caſtellanus, deinde Maſsẽſis. Rodulphus ſepelitur Romæ in templo S. Auguſtini ante ſacellum D. Monychæ.

Monaſterium ciuitatis Caſtellanæ, dormitorijs cubiculis, peryſtilijs, officinis, alijſque fabricis exornatur, cura & impẽſis Ioannis Senenſis pænitentiarij, ſacriſtæ & bibliothecarij ſummorum Pontificum.

Anno 1464. Paulus Secundus Pont. Max. mandat, vt fratres qui de obſeruantia nuncupantur, nulla occaſione oblata, etiam interueniente auctoritate Apoſtolica, occupent loca eorum quos Conuentuales vocant; nec è contra, ſine Prioris generalis licentia & facultate. Dat. Romæ. VI. kal. Decembris, Pontif. an. 1.

Anno 1465. Synodus coacta eſt Apamiæ in Francia, quarto nonas Iunij, vbi pōſt Prioris generalis confirmationem ſtatutum fuit, ut omni ſecunda feria duplici officio non impedita, caneretur Miſſa Defunctorum, fieretque ſuper ſepulturis ſolemnis proceſſio.

Chriſtina de Vicecomitibus innumeris miraculis illuſtrata, Spoleti ex hac vita diſceſſit. Hæc ob memoriam paſſionis Chriſti, clauo

ſti, clauo pedem perforauit, & ſingulis ſextis ferijs edebat abſinthium, & bibebat acetum felle mixtum.

Ioannes de Sahagun de S. Facundo, natione Hiſpanus, Legionenſis diœceſis, theologus, ſua ſingulari ac ineffabili ſanctitate Ordinem ſimul & Chriſtianum nomen illuſtrans, multis præſtantiſſimis miraculis & varijs ſuſpicitur: quinetiam & hac vita exutus ac in cœlis exiſtens, non ceſſat mortalibus auxiliari, & miracula quotidie operatur inſignia.

Claudius Catallina de Stella, theologus, vir de religione mirifice meritus, cum eſſet Procurator ordinis rem religionis cum Procuratoribus alijs ante Paulum Secundum, Mendicantium fratrum iura extenuare molientem, incredibili diligentia tutatus eſt. Inde in templo D. Petri Pontificius pœnitentiarius effectus, ita ſe geſſit, vt ſummam inter eos patres omnium iudicio aſſecutus ſit laudem. Habitus, vocatuſque officio ſolertiſſimus, & vita candidus, & animo actionibuſque integerrimus. Aram Romæ in templo D. Auguſtini erexit, parietem pinxit, dotem (vt vocant) donauit. Argentea vaſa pretij non mediocris noſtro ſacrario elargitus eſt. Vineam ad Frumentariam portam donauit. Semper petentibus patuit. Nihil vnq̃ quod poſtularetur, noſtro monaſterio negauit. Dignus ſane, cuius memoria apud gratos poſteros perpetuo perſeueret. Qui vnus non ſibi, ſed religioni ſe natum putauerit; quã adeo adamauit, vt quanquam ſenio confectus, victum tamen à ſe neceſſarium ſubduceret, vt aliquid religioni condonaret. Tandem apoplexia cadens, ſermonemque ac prope ſenſum amittens, obijt die 12. Ianuarij 1509. fere centenarius.

Euangeliſta Iacobaccius nobilis Romanus, ac in theologia & lege Pontificia egregie doctus, necnon Pœnitentiariorum in baſilica Lateranenſi antiſtes, his diebus extremum vitæ diẽ clauſit, & in templo D. Auguſtini ſepelitur.

Paulus Romanus in baſilica S. Petri pœnitentiarius, theologus admodum reuerendus, & vtriuſque iuris doctor egregius, præter librum Confeſſionum à ſe editum, etiam ad excitandũ ingenium, De vſu & exercitio clauium, opus quidem difuſum

vtileque compoſuit: item innumeros pene ſermones, tum ad ampliſſimum Cardinalium collegium, tum ad clerum,& ad populum docte & eleganter habitos, poſt ſe reliquit. Obijt Romæ dum eſſet valde ſenex, & in templo S. Auguſtini ſepultus iacet.

Anno 1469. Conuentus habitus eſt Peruſij, tertiodecimo calendas Iunij, in quo idem Guilelmus denuo confirmatur.

Anno 1470. Guilelmus Prior generalis à Paulo ſecundo Feſulanus epiſcopus creatus eſt. Feſulæ olim Hetruriæ inſignis ciuitas fuit, hodie modicus vicus non procul à Florentia, licet epiſcopalem ſedem retineat. Is Guilelmus, vt familia Becchia præclara Florentiæ ortus eſt, multa etiã præclara opuſcula conſcripſit, quibus memoriam ſui poſteris commendauit. E quibus hæc in bibiotheca cathedralis eccleſiæ Florentinæ aſſeruata conſpiciuntur, ſcilicet,

Commentaria in decem Ethicorum Ariſtotelis libros. Moralem philoſophiam tripartitam.

Commentaria in libros Oeconomicorum Ariſt. ad regẽ Neapolis. Poſtquam Ariſt. Ethicorum lib.

Commentaria in lib. Politicorum Ariſt. Quemadmodũ in prioribus commentarijs.

Interpretatio ſuper Primum Sententiarum.

Abbreuiatio Primi Sententiarum Magiſtri Auguſtini de Roma. Cum doctoris clariſſimi de Roma.

Liber de poteſtate eccleſiaſtica per modum dubitationis.

Quæſtiones itinerariæ, habitæ dum eſſet generalis Prior, religionemque inuiſeret.

Quæſtiones ſuper tres libros Ariſtotelis de anima.

Iacobus Philippus Bergomenſis his addit librũ de lege Mahometana, & Apologiam pro noſtro ordine: item Sermones ad clerum & ad populum. Diem clauſit extremum Florentiæ 1495. valde ſenex. Llibroſque ſuos legauit bibliothecæ cathedralis eccleſiæ Florẽtinæ. Ipſius vero oſſa recondita ſunt in edibus Sanctiſpiritus.

IACOBVS

IACOBVS AQVILANVS P. G.

ANNO Chriſti MCCCCLXX. Conuentus habitus eſt Bononiæ ſeptimo idus Iunij, in quo Prior generalis ſubſtituitur Iacobus de Aquila, theologus, qui præfuit annis quinque, & menſibus decem.

Baptiſta Poggius Genuẽſis hac tempeſtate doctrina & exẽplo plurimos ad bene beateq. viuendũ feliciter trahens, effecit, vt bonorum virorũ Congregatio, quam S. MARIAE de Conſolatione vocant, inſtitueretur. De quo fit honorabilis mẽtio apud Auguſtinum Iuſtinianum epiſcopũ Nebienſem libro Annalium Genuæ, vbi ait. Eo tempore floruit admodum venerabilis pater frater Baptiſta Genuenſis Poggius ordinis D. Auguſtini de obſeruantia religioſus quidem & vitæ integritate & cõgruẽti eruditione decoratus, vt ex multis dignis operibus perſpicue intelligi poteſt: quandoquidem vt percupidus religioſæ & reformatæ vitæ, ſub titulo S. Mariæ Conſolationis inſtituit & fundauit dignam Congregationem fratrum de obſeruantia Diui Auguſtini, ſoccos ligneos geſtantium, maiori abſtinentia & paupertate quàm aliæ multæ Congregationes. Et quanquã huic ſancto inſtituto (vt interdum moris eſt) multi vehementer apud ſedem Apoſtolicam ſe opponerent; cognita tamen ſingulari huius venerabilis religioſi integritate, à Pontifice data ei fuit plena & libera facultas veſtiendi fratres, & vbique fundandi monaſteria, & quancunque oblatam eccleſiam ſuſcipiẽdi, cũ alijs multis & amplis priuilegijs & immunitatibus. Sicq; Deo operante octo fundauit monaſteria: vnum extra mœnia Genuæ, titulo S. Mariæ Conſolationis, cui non ꝓpter vetuſtatem, at ob ciuitatis honorem datus fuit titulus cum principatu totius illius Congregationis: aliud Rapalæ: aliud in montibus quod nominatur S. Maria Montisbruni: aliud Sabbatij, aliud in plebe Teichi, aliud Vneliæ, aliud Victimilij, & octauum in Alba vrbe Montis Ferrati. Duo fundata accepit, alterum Nicææ Galliæ, & alterum in montibus iuxta Thendam. Induit

præterea

præterea multos viros probos habitum, ad ſuam religionem allectos bono ſuæ ſanctitatis odore. Erat valde humilis, ſuoq; in ſermone iucundus: & in Italia admodum ſalutifer in explicãdo verbo Dei, & in ſuis actionibus ſingulari refertus charitate. Sua Congregatio hac noſtra tempeſtate permanet in religioſa & reformata vita, & magnopere aucta eſt & monachorum numero & monaſteriorum.

Martinus de Corduba, vir quidem ſua doctrina & vitæ honeſtate celebratus, primum in Gallia Tholoſanũ, deinde Salmanticenſe in Hiſpania Gymnaſia, ſumma auditorum frequentia annis pluribus gubernauit & rexit. Quo tempore cum epiſcopatu Pacenſi cohoneſtaretur, humilitate oblatam renuit dignitatem. Et cum ſe diuini verbi prædicatorem exhibebat, adeo ſuis in concionibus proficere viſus eſt, vt multi mundanæ felicitatis contemptores per eius doctrinã effecti, in ſacco & cinere pœnitentiam agerent ſalutarem. Proinde ab omnibus, ad quos ſancta eius prædicatio, aut beatæ conuerſationis fama peruenerat, ita dilectus erat, vt nullus pater ab optimis filijs magis diligi potuerit, quàm is ab omnibus bonis amaretur: quippe qui omnes ſuas exortationes ad Dei & proximi dilectionem, legumque diuinarum & humanarum obſeruãtiam ita accommodauit, vt nemo eſſet qui non ad frugem melioris vitæ eo audito moueretur. Scripſit multa & vtilia opera, inter quæ extãt,

Expoſitio in tria prima capita Geneſeos.
Commentaria in omnes D. Pauli epiſtolas.
Quæſtiones ſuper eaſdem omnes epiſtolas.
Expoſitio in Apocalypſim beati Ioannis.
Hortus nobilium virginum, Iſabellæ Reginæ.
De laude Virginitatis, puellis religioſis dicatus. Obijt Valliſoleti, & in eccleſia ordinis ſepultus iacet.

Ioãnes de Dorſten natione Theutonicus, vir (authore Trittemio) in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, ac ſecularis philoſophiæ non ignarus, ingenio ſubtilis, & ad diſputandas enodandaſque quæſtiones ſcripturarum ſatis idoneus, in tractandis quoque ſermonibus ad populum excellentis opinionis.

Qui in

Qui in gymnaſio Erfordenſi docẽdo & prædicãdo ĩ pretio hac ætate eſt habitus. Scripſit non contemnenda opuſcula, quib⁹ memoriam ſui poſteris commẽdauit. De quibus feruntur, Sermones de tempore, & Sermones de Sanctis.

Ioannes Slolei, natione Anglus, patria Nordouicenſis, in cõcionibus ad populum apud ſuos inſulares ſatis fuit in pretio. Is ſtudioſus erat, & per ſuam ætatem ex omni parte doctus: patriæ ſuæ gymnaſia vtiliter frequentauit, & theologicum doctoratum Cantabrigiæ ſuſcepit. Inde in Prouincialem ſublimatus præſidem, per Angliã vniuerſam cum plebis applauſu Dei verbum prædicauit. Poſtremo ſcripſit Sermones per annũ. Quæſtiones varias. Et alia quædam. Annis multis, ſuis præfuit fratribus Sloleus, inter quos Nordouici moriens demum anno ſalutis 1479. & quarto die Iunij ſepultus eſt.

Ioannes Lydgate natione Anglus, theologus varia eruditione refertiſſimus, ſcripſit multa, quibus nomẽ ſuum illuſtrauit, e quorum numero extare perhibentur,

De genealogia Deorum, lib. 15.
De illuſtrium virorum caſibus, lib. 9.
De capta Troia, lib. 6.
De chorea Machabæi, lib. 1.
Parlamentum volucrum, dialogus auis & ruſtici, lib. 1.
Vita Adelſtani & Edmundi Anglorum regum, lib. 2.
Acta Guidonis Vuaruuicenſis, lib. 1.
De Arthurij rotunda tabula.
Ecglogæ ſeu Bucolica.
Odæ, Satyræ, ac alia poemata.
Præceptiones linguæ Gallicæ, e qua etiam multa tranſtulit in patriam linguam. Claruit Buriæ, vbi tandem deceſſit, anno. 1482.

Dionyſius Collenſis Tuſcus, vir pius ſimul ac ſtudioſus, librum edidit De arte ſermocinandi. Item, Tractatum de morte, & in omnibus fere capitulis ſic incipit: Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur. Scripſit quoque libellum de Pulchritudine pacis qui incipit: Diſtinguit beatus Auguſtinus.

Adam

Adam Montaltus Genuenſis, in ſecularibus literis celeberrimus, edidit contra Turchas inflammatoria carmina, quæ Romæ coram Xiſto Quarto & Cardinalium collegio magno applauſu memoriter recitauit. Eius quoque extat in orthographia Ioannis Aretini elegans proœmium, Philippo Arelatenſi archiepiſcopo dicatum.

Monaſterium Geneſtanenſe vetuſtate collapſum reſtituitur, & eccleſia quæ nunc cernitur, ædificatur, opera & impenſis beatæ Petruciæ Geneſtanenſis. Legitur apud Ambroſium Coranum, quòd cum à populo Petrucia derideretur, quòd ad eccleſiam perficiendam eius non ſufficerent facultates, ipſaque reſpondiſſet (priuſquam moreretur, Beata Virgo & S. Auguſtinus ſunt eam completuri) à verbis prolatis vix tranſiuit annus, quòd quædam imago beatæ Virginis in pariete eccleſiæ diu [illegible]tus apparuit, ad quã viſendam tota fere Italia ſic commota eſt, vt illuc ſolemniter municipia & ciuitates confluerent cũ ſignis, tabulis, & eleemoſynis inexplicabilibus: itaque adhuc Petrucia viuente non ſolum Templum, ſed & Monaſterium conſtructũ fuit. Iſtius autem imaginis apparitio fuit an. Dom. 1467. feſto S. Marci, die ſcilicet 25. menſis Aprilis, veſpere.

Sancta etiam de Geneſtano non multo poſt claruit: quæ ſic in contemplatione ſupernorum eleuata erat, vt ſingulis diebus in ſpiritu raperetur, & quotiens de Deo & paſſione Chriſti, aut de vita beatorum aliquid audiret.

Anno 1471. Xiſtus Quartus, in Eccleſia S. Auguſtini de Vrbe, quam antea ſuo ære à fundamentis extruſerat Guilelmus de Eſtouteuilla Cardinalis. Rhotomagenſis, conceſſit primo anno ſui Pontificatus plenariã omnium peccatorũ remiſſionẽ, in diebus SS. Auguſtini, Nicolai, & Monychæ. Item reuocãs & annullans Calliſtinam in præiudicium quatuor ordinum mendicantium procuratam, illud omnino decernit, quòd nulli ſoluamus Quartam, aut aliam portionem canonicam.

Anno 1473. Idem Pontifex, in eccleſia S. Mariæ de Populo, quam vetuſtate fere conſumptam a fundamentis extruxerat, multisque muneribus decorauerat, conceſſit in omnibus feſtiuitatibus

ſtiuitatibus beatæ Mariæ,& ſingulis Sabbatis plenariam in perpetuum omnium peccatorum remiſſionem. Vultque, vt in eadem eccleſia poſſimus eiſdem beatæ Mariæ feſtiuitatibus et Sabbatis & mediana Quadrageſima vſque ad octauam Paſchæ, nobis confeſſos abſoluere non ſecus ac faciunt Pænitentiarij minores in eccleſia S. Petri deputati. Obligat etiam Romanum Populum, vt ſingulis annis offerat ibidem duos cereos, & calicem pretij quindecim nummorum aureorum.

XISTI IIII. DIPLOMA QVOD Mare magnum nominatur.

ANNO MCCCCLXXV. Xiſtus Quartus Pontificatus ſui anno quarto, ſub forma Maris magni confirmat omnia priuilegia ab Alexandro Quarto, Vrbano Quarto, Bonifacio Octauo, Clemente Sexto, Bonifacio Nono, Martino Quinto, Eugenio Quarto, Nicolao Quinto, & alijs ſuis prædeceſſoribus, Ordini conceſſa, illa ipſa reddens ampliora. Deinde omnibus & ſingulis indultis & priuilegijs Ordinibus Prædicatorum & Minorum conceſſis, ita frui & gaudere nos vult, ac ſi nobis ſpecialiter fuiſſent cõceſſa. Quæ vero præclaro hoc priuilegio continentur, nobiſq; peculiariter conceduntur, hæc ſunt.

Confirmat indulgentias & omnes gratias ſpirituales & temporales tam generaliter quàm ſpecialiter conceſſas, eaſdem Mantellatis & Oblatis extendendo.

Eximit nos à decimis Papalibus, & à quibuſcunque quotis, à ſubſidio charitatiuo, datijs, gabellis, & quibuſcunque alijs exactionibus,nõ obſtãtibus quibuſcũque derogatorijs,&c.

Concedit Mantellatis omnia noſtra priuilegia,& etiam Oblatis: quibus poſſimus dare ſacramenta, etiam in earum domibus ſine licentia Parochialium.

Declarat,quòd libertas ſepulturæ eccleſiarum noſtrarum intelligatur etiam quantum ad hoc, vt poſſimus auferre corpora defunctorum in noſtris eccleſijs ſepeliri volentium, parochiali-

bus presbyteris etiam contradicentibus. Et de non ſepultis nullo modo, & de nullis quibuſcunque rebus teneamur ſoluere Quartam quocunque vtili ſeu particulari modo. Et de ſepultis approbat facta, conuentiones, conſuetudines, ordinationes, & ſpecialia priuilegia. Et de pie legatis reſpectu cuiuſcunque bullæ, nulli aliquid debeamus ſoluere.

Extendit, quòd ratione cuiuſcunque contractus, ſeu delicti, vbicunque delictum committatur, non poſſint Ordinarij aliquam ſuper fratres habere poteſtatem.

Concedit Generali & Prouincialibus, vt poſſint abſoluere omnes fratres de omnibus caſibus, præterquã de his quatuor, de hæretico relapſo, ſchiſmatico, & qui litteras Apoſtolicas falſificaſſent, aut ad infideles inhibita apportaſſet. Et quòd poſſint diſpenſare ſuper defectu natalium: & ſuper omnem irregularitatem, præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum.

Concedit, quòd hi qui fratribus Ordinis eſſent confeſſi, ſi per eorũ parochiales presbyteros ob id eis denegaretur Eucharistiæ ſacramentum, & extremæ vnctionis, per dictos fratres & eorum confeſſores poſſint dicta ſacramenta habere.

Concedit, quòd monaſteria deſtituta monialibus, poſſimus abſque alia licentia apprehendere cum omnibus ſuis bonis.

Decernit & inhibet, quòd volentes ſepeliri cum habitu noſtro, & Mantellatarum noſtrarum, non niſi in noſtris eccleſijs poſſunt ſepeliri, etiam ſi alibi elegiſſent ſepulturam.

Concedit, quòd in eccleſijs noſtris parochialibus poſſimus habere capellanum, & ipſum ponere & mutare ad noſtrum beneplacitum: qui quandiu in dicto capellanatus officio extiterit, omnibus exemptionibus, gratijs, & priuilegijs ordinis, vti fratres religionis eiuſdem, gaudeat.

Conceſſit, quòd cum primum Generalis noſtri ordinis fuerit electus, habeatur pro confirmato: & quòd nullus frater noſtræ religionis poſſit appellare à cenſuris ipſius Generalis gratia correctionis.

Statuit, quòd qui dixerit confeſſos fratribus noſtris, iterum confi-

confitendos, pro hæretico habeatur: & Inquiſitori hæreticæ prauitatis correctio contra talem committitur.

Statuit item, quòd qui prohibuerit nobis dari eleemoſynã, ipſo facto ſit excommunicatus, & pro hæretico habeatur, & per eundem Inquiſitorem corrigatur.

Concedit, quòd nos poſſimus gaudere omnibus & ſingulis priuilegijs, quibus gaudent Prædicatorum & Minorum Ordines, & e conuerſo.

Excomunicat omnes contradicentes illis & iſtis priuilegijs, & omnes illos qui audent petere. Quartam de ſepulturis, & q. vetant ſacramenta confeſſis nobis.

Mandat omnibus Prælatis ſub pœna excommunicationis, vt debeant nobis conſeruare iſta priuilegia: & reuocat Calixtinam, & alias bullas nobis & iſtis priuilegijs contrarias.

Statuit, quòd Camera apoſtolica, Protector, omnis Archiepiſcopus, omnis Patriarcha, omnis Epiſcopus, & ipſe Generalis, poſſint authentica facere de his omnibus tranſumpta.

Anno 1476. Ambroſius Maſſarius Coranus conſtitutus Vicarius ordinis, Iacobo Aquilano Priore generali nonagenario maiore defuncto.

AMBROSIVS CORANVS P. G.

ANNO Chriſti MCCCCLXXVII. Conuentus Ordinis Romæ Calendis Iunij habitus eſt, præſidente Guilelmo Eſtouteuilla Cardinali Rhotomagenſi, vbi Ambroſius Coranus theologus inſignis Prior generalis deligitur.

Xiſtus Quartus connectit eccleſiam S. Suſannæ de Vrbe eccleſiæ & monaſterio S. Mariæ de Populo. Statuit bona temporalia fratrum illius eſſe monaſterij, vbi habitum ſumpſerint, licet alibi profeſſionem fecerint. Concedit ſtationes in Vrbe locis omnibus noſtri ordinis. Dat facultatem vendendi, permutandi, liuellandi, & alienandi, quotiens opus eſt.

Exarcus Hiſpanus patria Ilerdenſis, vir multum venerabilis

vitæ ſanctimonia, qui in Italia Neapoli ordinis habitum & diſciplinam aſſumpſit, monaſteria aliquot in Hiſpania non tantum inſtaurauit, ſed noua quædam etiam à fundamentis extruxit. Hinc obſeruantia Sardiniæ, ſiue S. Mariæ de Succurſu Valentiæ, quæ Congregationi S. Ioannis de Carbonaria Neapolis ſubijciebatur.

Petrus de Rubeis Senenſis philoſophus & theologus inſignis, atque academiarum ordinis rector & magiſter, ſcripſit annotationes multas ſuper libros logicæ & philoſophiæ Ariſtotelis, necnon in Magiſtrum ſententiarum, & ſuper libros D. Auguſtini de Ciuitate Dei, quæ in bibliothecis ordinis comperiuntur.

Thomas Spilinberga Germanus, Petrus de Nizza, Alphonſus Arelatenſis, Ludouicus de Aſſais, Iacobus de S. Maximino Galli, Philippus Valentinus, Ludouicus Villalobos Hiſpani, theologi & philoſophi illuſtres, qui fortaſſis aliqua ediderunt, quæ apud me deliteſcunt.

Salimbenus de S. Geneſio Picenus, Matthæus de Macro Albingenus, Iacobus Philippus de Vallegrana, theologi & cócionatores eximij, qui doctrinam euangelicam in omnibus fere Italiæ vrbibus edocuerunt.

Paulus Lulmius Bergomenſis in libris antiquorum patrum verſatus, diſciplinaque iuris Pontificij eruditiſſimus, cum ex Canonico in templo cathedrali Bergomenſi atque Canonum profeſſore ſe ad hanc D. Auguſtini eremiticam profeſſionem contuliſſet, libellos quoſdam diuino conditos ſale edidit, & primo ad ſereniſſimum Chriſtophorum Maurum Venetiarum ducem,

De ſpirituali aſcenſu in Deum, lib. 1.
De laudibus præſentis vitæ, lib. 1.
De norma & regula pænitentium, lib. 1.
De ſpirituali viridario ſponſarum Chriſti, lib. 1.
De floribus eremiticis, lib. 1.
De apologia ordinis, Guilelmo Rothomagenſi Cardinali dicata, lib. 1.

De

De vita S. Monychæ, Ioanni Senenſi epiſcopo Maſſano, & Xiſti Papæ Sacriſtæ, dicata, lib. 1.

De vita & miraculis beatæ Mariæ de Genua, lib. 1.

De vita & miraculis beatæ Magdalenæ de Albericis de Como, lib. 1.

De vita & miraculis beatæ Helenæ de Vtino, lib. 1. Item Romæ, vbi erat Prior Monaſterij S. Mariæ de Populo, doctoris Auguſtini Anconitani librum De poteſtate eccleſiaſtica, librariorum incuria vitioſum & corruptum, purum & incorruptum typographis excudendum tradidit, eumque Ambroſio Corano ordinis Generali dicauit. Tandem cum eſſet Prior Monaſterij Cremonenſis, ſeptuagenario maior deceſſit die 12. Iunij anno ſalutis 1494.

Nicolaus Barianus Placentinus theologus, & iuris Pontificij conſultiſs. nata controuerſia circa præcedentiam noſtrorum Fratrum & Minorum, cauſam primum accuratiſſime diſputauit, vnde per Iure conſultos iuſtitia id exigente fuit in fauorem ordinis pronunciatum: deinde ſcripſit diffuſius, tandemque librum edidit præclariſſimum ad Raphaelem S. R. E. Cardinalem, quem inſcripſit, Cauſa Vitaliana de præcedentia Eremitarum & Minorum. Hic liber impreſſus eſt Cremonæ anno domini M D. & incipit: Quæritur an ordo noſter eremitarum D. Auguſtini de communi iure etc. Scripſit etiam Quadrageſimale huius tituli prænotatum; Quodlibet 77. quæſtionum prædicabilium, dicatum Herculi Eſtenſi Ferrariæ duci. Quod impreſſum fuit Bononiæ per Ioannem Antonium anno domini MDI. & incipit, Simile eſt regnum calorum.

Paulus de Verona theologus & concionator egregius, edidit Sermones de feſtis diebus, & Sermones per Aduentum Domini. Felix hic dies. In ſermone qui de oratione inſcribitur, refert inſigne miraculum, quod Papiæ circa corpus beati Auguſtini dicitur accidiſſe. Vir quidam nobilis genere Senenſis, cũ aliquam particulam corporis diui Auguſtini quã coleret, habere apud ſe vehemẽter exoptaret, Ticinum profectus, à ſancti corporis cuſtode eam efflagitauit, magna vi pecuniæ illi propoſita.

poſita. Cuſtos id ſe facturum recepit: ſed non auſus quicquã de ſanctiſſimo corpore detrahere, viro illi operam dare aſſimulans, ad ſepulchrum cuiuſdam, qui paucis ante diebus humatus erat, acceſſit, illiuſque cadaueris dexteræ abſciſſum pollicẽ ſerico inuolutum viro illi nobili porrexit, aſſerens eum eſſe diui Auguſtini digitum. Quem patritius ille reuerenter accipiens, religioſiſſime colebat, modo ori, modo oculis admouẽs, ſæpe eundem ſinu refouens. Nocte quadam in ædibus ſuis nõ plene dormiẽti, diuus Auguſtinus viro apparuit in luce multa, dixitque illi. Fili quiddam apud te reliquiarum mei corporis habere credis, ſed falleris, quem enim digitum veneraris non eſt meus, ſed alterius vita functi, vtque reipſa verba comprobem, manus meæ integræ ſunt (vide): ſed ne fides tua vana ſit, accipe digitum hunc meum. Statimque ademptum dexteræ ſuæ pollicem ei dono dedit, euanuitque ab oculis illius. Multa quidem vbicunque aderat vir ille, ſigna & prodigia ſacro digito faciebat. Quod audiens Longobardorum Rex, ſancti corporis cuſtodiam in carcerem conijci iuſſit: voluitque rem penitus cognoſcere. Cuſtode vero affirmante ſe alterius cadaueris pollicem abſciſſum patritio illi tradidiſſe, rex vbi diui Auguſtini corpus aſſeruabatur locum patefieri iuſſit, ſanctoque corpori dexteræ pollicem, præterea nihil, deeſſe comperit. Hæc Paulus Veronenſis, & eo antiquior Iordanus de Saxonia in libro Sermonum de Sanctis, ſerm. 59. de tranſl. S. Auguſt. Is digitus hodie venerabiliter aſſeruatur in templo noſtro S. Auguſtini Montis Ilcini in Hetruria præclara Italiæ regione. Memini quoque me legiſſe in Hiſtoria quadam rerum Angliæ, ꝙ circa ann. Domini 1033. Achelnotus Cantuariæ archiepiſcopus Romam veniens, Papiæ Auguſtini doctoris ſancti brachiũ auri talento & centum argenti comparauit, atque in Angliam ſecum magna cum reuerentia perferens, illud in Benturia ciuitate collocauit. Narratur item in annalibus Francorum, Lugduni D. Auguſtini cor extare in vaſe cryſtallino reconditum, precibus ibidem S. Sigiberti Lugdunenſis epiſcopi delatum, quod quaſi vitaliter & intellectualiter exultabat, quoties Sancta

cta Trinitas coram eo nominabatur, aut liber eius de Trinitate expandebatur.

Monaſterium Coranum in Latio quod vetuſtum erat, diligentia Prioris generalis elegantius, & in ea qua viſitur forma conſtruitur.

Anno 1482. Conuentus ordinis habitus eſt Peruſiæ in Vmbria ſeptimo calēdas Iunij, Gaſpare Vrbeuetano theologo præſidente, vbi eidem Ambroſio Corano officium prorogatur.

Anno 1484. Xiſtus Papa præcipit ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ne fiat amplius contentio & diſputatio inter nos & regulares canonicos de habitu D. Auguſtini, & ſub qua forma pingi debeatur, deque ordinum huiuſmodi inſtitutione.

Idem Pontifex, noua in Vaticano bibliotheca conſtructa, officiū bibliothecarij à Sacriſtæ munere diſtinxit, Platina primo nouæ bibliothecæ bibliothecario creato.

Andreas de Monte regali Vmber Theologus, & in iure pontificio non mediocriter eruditus, vitam miraculorum ſignis inclytam duxit, cuius corpus cum veſte qua tegitur, extat adhuc quaſi hac hora fuiſſet defunctus.

Rita de Caſſia, quæ tota in Dei charitate ſuccenſa, dum uiueret, Chriſti exortam in fronte ſpinam ſemper geſtauit; Deo his diebus animam reddidit multis inſignibus ſanctitatis ſuæ ſignis & indicijs.

Ioannes de Magdalena Luſitanus Vlysponenſis, his temporibus in Italia, præſertim Romæ uixit. Qui cum eſſet theologus præſtantiſſimus, occaſione cuiuſdā chartæ ſanguine miraculoſo ab hoſtia ſacrata emanāte perfuſæ, quæ Caſſiæ Vmbriæ oppidi in monaſterio noſtro aſſeruata colitur, rogatus ab Ambroſio Corano Priore generali, ſcripſit tractatum vtiliſſimum, in quo multas de ſanguine miraculoſo abſoluit controuerſias & dubitationes. Seruatur hic liber manuſcriptus Caſſiæ in conuētu ordinis. Is Ioannes in patriam poſtmodum reuerſus, fuit Alphonſi principis filij Ioannis ſecundi Portugalliæ regis præceptor, primamq. cathedram Vlyſſi ponc obtinens, ſex & viginti

annorum

annorum ſpatio ibi theologiam docuit. Cuius monimenta à ſacræ theologiæ candidatis, quæ nondum in lucem venere, deſiderantur.

Guilelmus Galion Anglus in Nordouolgiæ comitatu ortus, & in Linnenſi noſtro cœnobio literis & moribus educatus, annis iam maturis Oxonij philoſophiæ & theologiæ operam vehementer dedit: indeq; magnificus doctor effectus, omniumq; noſtrorum fratrum in Inſula poſtea prouincialis præſes cõſtitutus, ita prudenter ſe geſſit inter ſuos, vt eius pietatem, clementiam, ingenium, ſanctimoniam laudarent omnes ac plurimum mirarentur. Scripſit autem Conciones per annum, lib. 2. Lecturam theologiæ, lib. 1. Diſputationes varias, lib. 1. Nonnullaque alia. Linnæ non agenarius deceſſit, & in eccleſia ordinis ſepultus fuit anno ſalutis 1500.

Ioãnes Erghon natione Anglus, patria Eboracenſis, excolendi mentem bonis ſtudijs cupidiſſimus, relicta ſua ciuitate Oxonium rectà ſe contulit, vbi poſt dialecticam ac phyſicem, theologiã itidẽ profeſſus, nullo non genere ſcholaſticæ diſciplinæ inter ſuos enituit inſulares. Ingenij maturitatem, & oris facũdiam in promptu ſemper habens, noua atque inaudita auditoribus ex concione interdum attulit. In ſcripturarum explanatione plurimum illi arriſit typicus interpretandi ſenſus à paucis vſitatus. Eos ergo non paruo labore quæſiuit authores qui in eo excelluerunt, quales erant Methodius, Ioachinus Calaber, Cyrillus Carmelita, Ioannes Bridlingtonus, Robertus Vſetius, Ioãnes de Rupeſciſſa, Ioannes Barſigneius, Sibyllæ, & alij qui prophetias ac reuelationes ediderunt. Ex his omnibus apud quoddam edidit, & Heroſordiæ comiti dedicauit, quod vocabat. Cõpilationes Vaticiniorum lib. 1. Ego Auguſtinienſium minimus. In vaticinia Ioannis Bridlingtoni, lib. 3. Illuſtriſs. domino. Calculationes Aſtrologiæ, lib. 1. Sermones ad populum, lib. 1. Eboraci tandem communi fato accubuit, & in eccleſia ordinis ſepultus iacet.

Thomas Pencketh Anglus, ex Vuarryngtonenſi monaſterio doctor egregius ac diſputator ſubtiliſſimus, in Anglia non ſolũ, ſed

ſed in Italia quoque & vniuerſa penè Europa non vulgariter notus, his & ipſe temporibus floret. Hic delegerat ſibi iuuenis vnicum præceptorem, videlicet, Ioannem Scotum, doctorem illum ſubtilem, ad cuius exemplum ita ſe ſuaque omnia formauit ſtudia, vn non ouum ouo, neque lac lacti ſimilius quàm ille magiſtro fuerit. De quo Ambroſius Coranus ſic loquitur. Hic doctor ſubtiliſſimus (inquit) ſic Ioannis Scoti opera mente habet ſoluta & trita, vt ſi perdita eſſent, ea poſſet facillime reficere. Cui omnes Scotiſtæ multum debent: quoniam ipſe eius opera elucidauit, emendauit, & in publicum dedit. Multos in dialecticis, in philoſophia ac theologia edidit tractatus, & quidem ſubtiliſſimos. Hactenus Ambroſius. Iacobus vero Bergomenſis addens: Eam (inquit) ob doctrinæ magnitudinẽ, ex Anglia in Italiam vocatus, Patauij publico ſalario diu ſacrã theologiam docuit. Et, vt alter Eſdras Hebræus, incredibili memoria præditus, Scoti opera tam exacte retinebat, vt exẽplaribus deſtructis, reuocare omnia ſciret. Inde frequenti auditorio Patauij rogatus, emendatiſſima illa, & quaſi denuo edita, typographis excudenda tradidit. Hæc ille. In patriam tandem reuerſus, fit Angliæ & Hiberniæ prouincialis præſes: atq; hæc edidit.

Summam Dialectices, lib. 1.
Elucidationes naturalium, lib. 1.
Philoſophantium præceptiones, lib. 1.
Annotationes in Auguſtinum, lib. 1.
De arte Sermocinandi, lib. 1. Quãuis vnica & certa ars.
Actus magiſtrales, lib. 1.
Lecturam Sententiarum, lib. 4.
In Metaphyſicam Ariſt. lib. 12.
Placita theologica, lib. 1.
Ordinarias diſputationes, lib. 1.
Conciones ad vtrumque ſtatum, lib. 1.
Lectiones ad Scotum, lib. 1.

Et id genus alia. Londini tandem obijt anno à Chriſti Incarnatione 1487. & in eccleſia Ordinis ſepultus eſt.

Aa Anno

Anno 1485. die 17. Maij, Romæ Ambroſio Corano Priori generali defunċto, Syluester de Balneoregio theologus, Vicarius ordinis ſubſtituitur, qui & ipſe eodem anno Romæ deceſſit die 13. Septembris. Cui item Vicarius ſubrogatus eſt Anſelmus de Montefalco, qui apud Ilicetanos ſanctiſſime uixerat. Ambroſius vero Coranus cum fuerit vir in ſcripturis ſanctis & alijs bonis artibus multum eruditus, docta quoque & delicata edidit opuſcula, nempe,

De regimine Reipublicæ, lib. 1.
De Inuentione artium, lib. 1.
De Sphæra Virginis, lib. 1.
De Dignitate Sacerdotij, lib. 1.
De Immortalitate animæ, lib. 1.
De Modo orandi, lib. 1.
De Idea, lib. 1.
De veritate fidei Chriſtianæ, lib. 1.
De proprietatibus Angelorum. lib. 1.
De ſcientia & ſapientia Chriſti, lib. 1.
De eſſentia Dei, lib. 1.
De Conceptione Virginis Mariæ, lib. 1.
De ineffabili verbo Dei, lib. 1.
De Circunciſione Chriſti, lib. 1.
De vita & laudibus diui Auguſtini, lib. 1.
De viris illuſtribus ordinis S. Auguſtini.
De vita beatæ Chriſtinæ de Spoletio.
Defenſorium Ordinis S. Auguſtini.
Super Primum Sententiarum.
Super libros Poſteriorum Ariſtot.
Super Artem veterem.
Super tractatum de Sphæra.
De laudibus vrbis Romæ.

Sermonum volumina duo de diuerſis materijs, quos coram Pontificibus maximis, ſacroque Cardinalium cœtu perorauit. Et alia multa quæ videre non potui.

ANSELMVS DE MONTEFALCO P. G.

ANNO Chriſti MCCCCLXXXVI. Comitia Ordinis habita ſunt Senis, pridie idus Maij, in quibus Prior generalis creatur Anſelmus de Montefalco, vir ſane doctus & moribus præclarus. Conſtitutum, vt ſingulis ſextis ferijs Regula, quotidie verò aliquid de Conſtitutionibus ordinis legeretur. Commemoratio S. Auguſtini omni menſe prima die non impedita fieret officio ſemiduplici. Feſtum Transfigurationis Dei domini noſtri Ieſu Chriſti, cum officio, quod poſt ingẽtem Chriſtianorum apud Bellogradum victoriam contra Turchas, Calliſtus Tertius Pont. Max. compoſuerat, celebraretur.

Anno 1488. Innocentius octauus Pont. Max. ſtatuit & vult, vt Congregationes & Prouinciæ communicent inter ſe in priuilegijs & gratijs ſpiritualibus. Vicarij Congregationum & Viſitatores poſſint corporalia & paramenta quæcunque benedicere. Miſſæ poſſint ante auroram celebrari. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum 17. cal. Decemb. Pont. an. 4.

Anno 1490. Idem Pontifex concedit fratribus ordinis indulgentias ſtationum almæ vrbis in quacunque noſtra eccleſia, & loco, etiam vnum tantum altare habente. Item Indulgentiam ſeptem annorum & ſeptem quadragenarum, quotiens congregati poſt ſolis lucem ſecundum morem Ordinis oramus pro viuis & defunctis. Item Indulgentiam plenariam celebrantibus in Dominicis diebus, ſolemnitatibus Domini, & beatæ Mariæ & Sanctorum Ordinis: quam & fratribus laicis & noſtris monialibus concedit quando communicant.

Idem Pontifex conceſſit peculiariter fratribus qui de obſeruantia Prouinciæ Hiſpaniæ nominantur, indulgentiam plenariam in feſto Natiuitatis Domini ſingulis annis, & in mortis articulo.

Anno 1491. Conuentus Ordinis Romæ vndecimo cal. Iunij habitus eſt, in quo poſt Prioris generalis confirmationem, definitum fuit, vt in Veſperis cum dicitur verſus ille, Sit nomẽ Do-

mini benedictum, fratres omnes reuerenter inclinarent capita.

Auguſtinus Interamnenſis Vmber,& Ioannes Baptiſta Neapolitanus Campanus, theologi,& viri admodum graues & religioſi,in Hiſpaniam & Luſitaniam litteris Sedis Apoſtolicæ proficiſcuntur, vt aliquot in illis prouincijs monaſteria ab Ordinis inſtitutis plus æquo dilapſa, repararent.

Monaſterium S. Auguſtini oppidi Manſillæ in Hiſpania, ab illuſtri domino Fadrique Almirante Caſtellæ, extruitur, omniumque rerum copijs ditatur.

Monaſterium S.Galli Florentiæ à Laurentio Medice,in gratiam eloquentiſſimi viri Mariani Genezanenſis,extruitur. A.Politianus, lib.4. epiſt.6.

Felix Appulus, religioſus admodum venerandus,qui in Appulia Italiæ regione, cum quædam huic ſæculo monaſteria erexiſſet, aliaq. inſtauraſſet, initia dedit Congregationi Appuliæ, quæ & ipſa ſub arcta Prioris generalis obedientia perſeuerat.

Ioannes Bernardus cognomento Fortis, Sauonenſis,vir multis animi dotibus exornatus,ſcripſit Vocabuliſtam eccleſiaſticũ quem ſe ex Papia & Mammetrecto collegiſſe ait.

Albertus Patauinus cognomẽto Nouellus,primo Hebræus, inde Hebræorum ſæuiſſimus obiurgator, multa aduerſus eoſdẽ de Meſſiæ aduentu conſcripſit,quæ Patauij in bibliotheca Ordinis manuſcripti cuſtodiuntur.

Philippus Groppantes Florentinus theologus ac concionator egregius,vt poſteris ſua etiam eruditione proficeret,concionum ſuarum amplum ſane volumen reliquit; quod hodie ſeruatur Piſis in monaſterio Ordinis.

Auguſtinus de Biella theologus ſcripſit librum titulo,Exempla virtutum & vitiorum, qui hodie ſine auctoris nomine impreſſus vbique circunfertur. Hunc etiam fertur compoſuiſſe, Proſam defunctorum, Dies iræ dies illa: verum in quibuſdam Fratrum Prædicatorum annalibus obſeruaui auctorem huiuſce proſæ fuiſſe Humbertum Burgundum quintum illius Ordinis Magiſtrum generalem.

Reinhardus de Laudenburg Germanus, theologus multum reli-

religioſus, & concionator celebris, edidit Sermones de Paſſione Domini, accommodatos ad modũ Quadrageſimalis, Nurmbergæ impreſſos anno ſalutis 1501.

Ioannes de Lanshen Vuormacienſis, vir admodum pius, ac vita & conuerſatione inſignis, ſcripſit de inſtitutione & vtilitate Fraternitatis Roſarij D. Mariæ. Speculum Miſſæ. Speculum nouiſſimorum. Arrham æternæ ſalutis, & alia.

Antonius de Padilla Hiſpanus, vir probitate & eruditione inſignis, in Italia Neapoli monaſterio noſtro S. Ioannis de Carbonaria, vbi diutiſſime commoratus eſt, primas diſciplinas edocuit Hieronymũ Seripandum iã tum puerum altæ diuinæq. indolis, deinceps Ordinis Priorem generalem, Archiepiſcopum Salernitanum, S. R. E. Cardinalem, & in Tridentina Synodo Legatum.

Rodericus S. Martini Hiſpanus epiſcopus Sebaſte, Burgi his diebus ſancte, pieq. diſceſſit è vita, ſepultus in templo S. Auguſtini iuxta ſacellum Crucifixi.

Anno 1494. Ioanne Senenſi Romanorum Pontificum Pænitentiario, Sacriſta & bibliothecario defuncto, cõſtituitur eorundem Rom. Pont. pænitentiarius & Sacriſta Auguſtinus de Ciuitate Caſtelli theologus.

Rogerus Venray natione Teutonicus (ſola Trittemij auctoritate mihi cognitus) in diuinis ſcripturis apprime clarus, & ſæcularis litteraturæ non ignarus, ſoluta & pedeſtri oratione quædam non ſpernenda conſcripſit opuſcula. De quibus extant infraſcripta.

De inſtitutione Pueri, lib. 2.
De inquiſitione vitæ beatæ, lib. 2.
De beata Maria hymnorum, lib. 1.
De vario litterarum vſu, lib. 2.
De rebus mirabilibus, lib. 2.
De rebus nouis, lib. 2.
De metrorum generibus, lib. 1.
De accentibus Latinorum, lib. 2.
Panegirycus ad Ioannem Spanhemenſem Sancti Martini Ab-

ni Abbatem.

De calamitatibus horum temporum, lib. 1.

Epigrammata ad diuerſos multa.

Epiſtolæ tam proſa quàm metro permultæ.

Ioannes Tonneys natione Anglus, patria Nardouicenſis, præfectus ea in Inſula prouincialis, ac philoſophus, theologus, rhetor, & poeta ſuo tempore non vulgaris, his temporibus claruit, vir multi apud Anglos nominis. Cuius extant opuſcula quædã minime ſpernenda, videlicet,

Rudimenta Grammatices, lib. 1.

De quantitate ſyllabarum, lib. 1.

De edendis carminibus, lib. 1.

Epiſtolæ ad diuerſos, lib. 1.

Orationes ad clerum, lib. 1.

Sermones ad populum, lib. 2.

Certamina ſcholaſtica, lib. 1.

Lecturæ magiſtrales Cantabrigiæ habitæ, lib. 1.

Collectanea quædam, lib. 1.

Facetiæ ac Rhythmi. Et alia nonnulla, quæ immatura præuentus morte non abſoluit. Plura eius opuſcula Londini ſunt per Regis typographum Ricardum Pynſonum excuſa.

Aurelius Brandolinus, cognomento Lippus, Florentinus, vir certe eruditiſſimus, ſed eloquentiſſimus ac diſertiſſimus in primis, poetaque conſummatiſſimus, atque multarum aliarum diſciplinarum, maximeque Muſicæ copioſe edoctus, his temporibus mirum in modum claret. Is cum vbique eius fama explendeſceret, à Matthia Coruino glorioſiſſimo Hungarorum rege aſcitus, Budæ ac Strygonię multis annis publico munere magna cum laude inſtitutionem oratoriam docuit. Inde Florẽtiam dulcem patriam reuerſus, noſtri Ordinis in venerabili Sancti ſpiritus monaſterio habitum ſuſcipiens, haud multo poſt ob ingenij & eruditionis præſtantiam ſacerdos initiatus, etiam concionator euaſit egregius, & in aperiendis ſacrarum litterarum ſecretis peritiſſimus, vt parem habere neminem videretur. Scripſit tum verſu, tum oratione ſoluta, plurima opuſcula, e

qui-

quibus obſeruaui,

Paradoxa Chriſtiana, lib. 2. Baſileæ excuſa 1543.

De humanæ vitæ conditione & tolerandæ corporis ægritudine, ad Matthiam Coruinum Hungariæ regem, dialogus ibidem impreſſus.

De ratione ſcribendi, lib. 3. In quibus Rhetoricæ præcepta à dicendi ratione ad rationem ſcribendi transfert, ibidem excuſi.

De legibus, lib. 1.

Carmina de morte Platinæ, quæ in fine operum ipſius Platinæ leguntur.

Hiſtorias Sanctorum multas compoſuit.

Hiſtorias omnes veteris Teſtamenti in elegantiore ſtylo congeſſit.

Liber, in quo carminibus heroicis nouum & uetus Teſtamentum complexus eſt.

Super omnes epiſtolas Pauli pulcherrimos edidit commentarios.

Orationes permultas elegantiſſimas ac doctas, præſertim de Paſſione D. N. Ieſu Chriſti, ad Innocentium Octauum Pont. Max. Et alia multa. Romæ diem ſuum clauſit an. Dom. 1498. Fuit adeo facilis in cudendis verſibus cuiuſcunque generis, vt quicquid dicere volebat. verſus erat. Extant ad ipſum quædã Pogij epiſtolæ in eius laudem.

Paulus à S. Geneſio Picenus, theologus epiſcopus Helenepolitanenſis, Abbas Cauarum Placentinæ diœceſis, & Commendatarius Apoſtolicus, edidit Tractatus duos, vnum de Perfectione iuſtitiæ, alterum de Excellentia charitatis, omni doctrina refertos. Is Philippo & Ludouico Sfortiæ ducibus Mediolanenſium gratiſſimus extitit, in quorum gratia Mediolani frequenter conciones habebat vtiles & ſalutares. Vbi etiam duas erexit bibliothecas, vnam in cœnobio S. Marci, alteram in conuentu S. Mariæ Coronatæ, quam ſuis libris exornauit. Obijt Mediolani, & in templo noſtro S. Mariæ Coronatæ ſepultus eſt, iuxta altare maius.

Iaco-

Iacobus Perez Hiſpanus à Valentia, epiſcopus Chriſtopolitanus, & doctrina & ſanctitate præclarus, hac ætate perpetuũ ſibi nomen acquiſiuit. Is ille eſt, qui in omnes Pſalmos Dauid magna & egregie celebrata edidit commentaria, allegoricis & anagogicis ſenſibus referta, & multis variarum ſcientiarum digreſſionibus redundantia, Roderico Borgiæ Cardinali Valentino, epiſcopo Portuenſi & Carthaginienſi, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellario, dedicata. Extant ipſius quoque luculentæ expoſitiones in Cãtica officialia, nempe Benedictus. Magnificat. Nunc dimittis. Gloria in excelſis. Te Deum laudamus. Quicunque vult ſaluus eſſe. Acceſſit ad hæc Tractatus contra Iudæos. Eiuſdem item expoſitio in Cantica canticorum: & Quæſtionis finalis diſcuſſio, Vtrũ ſolus Chriſtus ſit metrum & menſura & largitor omnium bonorum & reparator humanæ naturæ. Hæc omnia impreſſa ſunt Pariſijs, & Lugduni. Hic Iacobus aſſerit authorem diuinæ ſcripturæ editionis Syræ, fuiſſe Ionathan Abenuziel Iudæum, qui anno primo & vigeſimo Octauij Auguſti, hoc eſt, anno ante Chriſtum natum XXI. tranſtulit totum vetus Teſtamentum in linguam Chaldaicam ſiue Syram, ſenſum magis de ſenſu, quàm verbum de verbo exprimẽs. Narrat item in expoſitiooe Pſal. 20. hunc Ionathan in ſua Thargum multa de Chriſti diuinitate, ac de ſancta Trinitate myſteria explicaſſe, veluti in editione Pſalmi ſecundi, in quo dum paraphraſticos illuſtrans ſententiam illam, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te: ita ſcripſit. Duo hi, Pater & Filius, tres ſunt in vna tertia perſona, nimirum Spiritu ſancto: & hi tres vnum ſunt, vna (inquam) ſubſtantia, vna eſſentia, & vnus Deus. Quæ dum Ionathas literis mandaret, repente vox ad eum de cælo allata eſt, inquiẽs: Quis eſt iſte, qui audet ſecreta mea Gentibus reuelare? Tum Ionathas, Ego (inquit) domine ob reuerentiam & gloriam nominis tui hoc tẽtare auſi.

Anno 1496. Marianus de Genazano theologus creatur Vicarius generalis, viuẽte adhuc Anſelmo Priore generali, qui id ab Alexãd. Pont. Max. ob malã corporis valetudinẽ poſtulauerat.

MA-

MARIANVS DE GENAZANO P. G.

ANNO Chriſti MCDXCVII. Comitia habita ſunt Romæ quarto nonas Maij, in quibus Prior generalis declaratur Marianus de Genazano theologus & cōcionator eximius. Conſtitutum, vt & Congregationes & Prouinciæ vnis iiſdemq. vterentur Ordinis conſtitutionibus.

Alexander Sextus Pont.Max. declarat officium cuſtodiendi ſacrarij Pontificij perpetuum datum Fratribus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, & per eoſdem ſemper exercendum, bulla edita idibus Octobris, Pontificatus anno ſexto.

Idem Pontifex concedit communicationem omnium priuilegiorum cuique domui, loco, & perſonæ religionis, in genere vel in ſpecie conceſſorum, ac ſi expreſſe & indiuiduæ ac de verbo ad verbum de nobis ac de noſtro ordine mentio facta eſſet.

Baptiſta Alouiſianus Rauennas, excellens diuinarum profeſſor litterarum, edidit (quemadmodum enarrat M. Antonius Sabellicus, cum quo familiariſſime & amiciſſime vixit) de Aurelij Auguſtini rebus commentarios accuratiſſime conſcriptos. In quibus commemorat Ordinis monaſteria his diebus fuiſſe circiter duo millia. Initiatorum ad xxx. millia numero. Virginum loca ccc. Viros theologica eruditione claros, qui pie multa & accurate ad orthodoxæ fidei munimentum ſcripſere, centum & amplius. Sanctos & beatos Lxxxv.

Circa hæc quoque tempora, referente eodē Sabellico, peregrè in Italia delati ſunt Eremitæ obſeruationis quidam ex ea Aethiopia quæ eſt ſupra Aegyptum. Hi Romanum longo commertio ſermonem adepti, magnum dicebant initiatorum numerum nominis Auguſtinianorum ab Eremo eſſe in terra vnde profecti eſſent, conuentusq. plurimos, quorum certus iniri non poſſet numerus in tanta terrarum vaſtitate. Quæ eò mihi veriora videntur, quò ex Libya, vbi is pietatis cultus ortus eſt, facilius potuit in eam terram, quæ locorū propinquitate agnata illi eſt, quàm in remotiores oras penetrare, cum Vandalo-

rum iniuriam ab initio declinauit.

Valerius Genúenſis Ligur, philoſophus, & in omni liberali arte, medicinæ præſertim, exercitatus, grandæuus ſe ad ordinē noſtrum transferens, ita in eo profecit, vt non ſolum corporū, ſed animorū quoque nobiliſſimus atque optimus medicus euaſerit. De quo ferunt multa conſcripſiſſe, quæ in exceſſu ex hac vita ſubrepta fuere.

Nicolaus Palmerius Siculus epiſcopus Ortanus, Auguſtinus Anconitanus cognomento Iuuenis, oratores, philoſophi, & theologi illuſtres.

Andreas Proles Saxoneus nouam quandam in vltima Germania ſub colore reformationis Congregationem excogitans, non ſolum eius confirmationem, ſed exemptionem quoque ab obedientia & rectione Prioris generalis non ſine ſciſſura Ordinis ab Alexandro vi. obtinuit: è qua deinde ſeparatione prodijt Martinus Lutherus, qui magnū dedecus & ignominiam attulit Ordini noſtro, & iacturam fecit in eccleſia Dei.

Anno 1498. Auguſtino cuſtode ſacrarij Pontificij defuncto, in eius locum ſufficitur Zacharias Sauonenſis Ligur.

Anno 1499. Mariano Priori generali vita functo ſubrogatur Vicarius ordinis, Gratianus Fulginas Vmber theologus. Marianus de Genazano, ſiue (vt alij ſcribunt) Chinatiano, hodie Columnenſium oppido, theologus conſultiſſimus, quem vnum in templis ſermones habentem ingenti applauſu, ſummaq. dulcedine populi gentium omnium audiebant, hoc ſuo tempore tāquam venerabile numen habebatur. De quo in Chronicis Iacobus Bergomenſis ait: Marianus vir erat theologus præſtantiſſimus, ſuo æuo tamquam lucifer & ſol quidam perfulgidus, ſuis exquiſitiſſimis declamationibus, & nouo concionandi genere emicuit, ac veluti alterum electionis vas mundo oblatus, tantam ingenij vim, & docendi robur de ſe oſtendit, vt dicere auſim, neminem in hoc ſeculo inueniri vmquam potuiſſe, qui cū eo exquireret comparari. Erat profecto talis ac tantus, vt nihil ex eo eſſet in omni politiore diſciplina fruſtra deſiderandum. Nam in ſuis declamationibus ad populum ita verbis lectis diſertus

ſertus erat & ſententioſus, etiã canora voce, uultuq. ac ceteris corporis motibus ad rem erat accommodatus, vt tanquam alter Demoſthens nihil ad laudis cumulum accedere poſſet. Deinde (quod perfectius erat) tanta pollebat religionis modeſtia, vt potuiſſet cum vniuerſo terrarum orbe de omni genere laudis facile cõtendere. Se quoque in familiari ſermone cognoſcibilem præſtabat, quãtæ doctrinæ, quãtæ eloquentiæ, quãtæ vel ſapientiæ eſſet præditus. Quas ob res factum fuit, vt innumerabiles auditores quadam incredibili obſeruantia mox ad ſe traheret, qui audito homine mirabundi confeſtim eius egregias virtutes & religionem prædicarent. Plurimi nanque cum hominis videbant habitum, & quandam indolem in oculis & uultu minime vulgarem, necnon & corpuſculum eius inuictum & infaticabile, quia videbatur neſcire reparare vires, niſi quaſi ex laboribus ipſis, pro magno ducebant miraculo. Hæc ille. Angelus vero Politianus in Miſcellaneorũm præfatione ad Laurẽtium Medicem: Marianus (inquit) hic Genazanenſis, nec in theologia cuiquam ſecundus, & omnium quos in eccleſia concionatores audiuimus, non prudentiſſimus modo, ſed & facundiſſimus: cuius neque ſupecta populis ad bonam frugem tendentibus eloquntia, quoniam vitæ incredibili ſeueritate commendatur: nec e diuerſo triſtis aut reformidabilis auſteritas, quoniam poetica delenimenta, pulchramque iſtam literarum varietatem, nitorem, dilicias non aſpernatur. Idem Politianus lib. 4. Epiſt. 6. Triſtano Chalco: Scribis Marianum Genazanenſem theologiæ conſultum, qui ſacras iſtic ad populum cõciones habet, tanta eſſe omnium admiratione apud uos, vt eorum facile fidem quæ de ipſo in Miſcellaneis prædicauimus abſoluerit: iri ad hunc plenis vndique vijs, allici lepore verbórũ, ſuſpendi ſententiarum grauitate, flecti omnis orationis impetũ & viribus. Fatebor quid mihi vſu venerit, cum primum hic apud nos concionari cœpit. Acceſſi vt audirem, ſic quomodo alios conſueueram, explorabundus & pene (vt verum dicã) contemptim. Sed vt habitum vidi hóminis & ſtatum, quaſique indolem quandam in oculis & vultu minime vulgarem, cœ

pi aliquid expectare iam quod eſſem probaturus. Ecce tibi igi-tur, præfari incipit. Arrigo iam tum aures, canora vox, verba electa, grandes ſententiæ. Denique agnoſco inciſa, video mẽbra, ſentio circumductum, capior numero: tum partiri pergit, attendo: nihil impeditum, nihil inane, nihil ibi quod caudam traheret. Texit deinde argumentorum nexus, illaqueor: retexit, expedior: inſerit alicubi narratiunculas, ducor: modulatur carmen, teneor: iocatur non nihil, rideo: premit, vrgetq; veris, do manus: tentat affectus mitiores, ſtatim mihi per os lacrymæ: clamat iratus, terreor, ac veniſſe iam nollem. Denique pro re ipſa quam tractat, & figuras variat, & vocis flexus, & vbique actionem guſtu commendat. Mihi vero etiam (vt fatear) creſcere in ipſo pulpito, nec ſupra ſui modo, ſed omnino ſupra hominis menſuram ſæpe eſt viſus. Ac dum ſic omnia, quaſi ſingula, contemplor, ceſſit miraculo iudicium. Putabam fore tamen, vt conſumpta poſtmodum nouitate, minus in dies me caperet. Ceterum contra accidit: idem enim poſtridie, quaſi alius audiebatur, ſed illo ipſo melior, qui pridie viſus optimus. Nec tu illud corpuſculum contempſeris, inuictum, infatigabile eſt, vt non aliunde magis reparare vires quàm de laboribus ipſis videatur. Quis inde autem tantum vocis, tantum ſpiritus, tantum virium ac laterum ſperaret? Adde, quòd & ruſticatus quandoque ſum, domique cum ipſo familiarius egi, & quidem nihil vidi placidius, nihil tamen etiam cautius. Non eius abſterret ſeueritas, non item corrumpit facilitas. Alij cum ſe magiſtros eccleſiarum profitentur, credunt ſibi ius eſſe in homines vitæ & necis: itaque ſic intemperanter poteſtate abutuntur, vt numquam ſupercilium, numquam pædagogi cultum, & verba illa tetrica deponant. Hic autem noſter ſic modum tenere didicit, vt in ipſo tantum pulpito cenſuram exerceat, cum deſcendit inuicem ciuilitas excipiat. Quare ſic à me, ſic à Pico itẽ Mirandula meo (bone Deus, quo viro?) frequenter aditur, vt nullo magis quàm ſermone illius & conſuetudine, triſtitiam literati laboris diſcutiamus. Nam Laurentius ipſe Medices elegans ingeniorum ſpectator, quantum homini tribuat, non modo ſub-

do ſubſtructo protinus inſigni cœnobio oſtendit,ſed multo etiã magis aſſiduitate quadam,cultuque,ſic vt vnam cum illo ambulatiunculã omnibus ferme vitæ vrbanæ diſcurſibus anteponat. Itaque te quoque hortor,inſpicias hominem, ſi potes,& explores etiam de proximo, laudabis & hic Politiani tui judicium. Nec illi moleſtus vnquam venies, neſcit offendi. Non enim is eſt, qui lucem refugiat & oculos, puto quia bona conſcientia teſtibus omnino gaudet,quamuis vtique non deſideret. Hactenus Politianus. Hic tandem Romæ Prior generalis deſignatus, & ab Alexandro VI. Pont. Max. ad Federicum regem Neapolitanum affinitatis ineundæ gratia miſſus, reuertens Sueſſæ nõ ſine maxima Chriſtianæ Reipublicæ iactura deceſſit. Quanta autem in Mariano doctrina,quãta eloquentiæ vis ac maieſtas fuerit, partim etiam ſermonibus, partim epiſtolis & orationibus à ſe eruditiſſime editis,quiſque dilucide elicere poteſt. De quo & Pontanus in dialogo qui Egidius inſcribitur,ait:Ego ipſo muſarum nomine excitus ſum ad lacrymas, Mariani Eremitæ memor factus, qui nuper maximo cum deſiderio Chriſtianorum omnium, Italiæque præſertim totius, his in locis diem obiens, naturæ conceſſit. Dum muſas in ijs Chriſtianas & colit venerabiliter, & illarum ſecreta per diuorum templa, perq. ædium ſacrarum pulpita mortalibus & enucleatiſſime aperit, & ſuauiſſime etiam decantat. (Et quibuſdam interiectis.) Terræ quoque huic gratias agite, è qua mortalibus exuperatis laboribus in cælum euolauit, vbi ſanctiſſimis cum viris agens luce fruitur, non ſolis quidem eius mundum qui illuſtrat vniuerſum, ſed luce ea quæ à Dei mente profundens ſeſe & fouet eos quos ad ſe euocauit,& inuitat ceteros,qui Dei ipſius memores,lucem eius intueri volunt, ac per eam tenebras mortalitatis effugere. Mihi quidem (neſciam fortaſſe an parum Chriſtiano è ritu,forſan & ſupra quàm Chriſtianum decet hominem) venit in mentem, in Mariani memoriam hymnum ludere, inque eius honorem decantare cum familiaribus, quem quia non diſpliciturum vobis intelligo, referam in hoc præſertim ocio.Is autem talis eſt.

Qua-

Qualis Alphei liquidos ad amnes,
Siue Meandri viridante ripa
Concinit ſerum moriens in ipſo
Funere Cygnus:
Talis ad plectrum, ad thyaſos deorum
Ludit in cœlo Marianus, ipſa
Morte victurus Marianus, ipſo
Funere felix.
Ipſe ſis felix, faueasq. nobis,
Ipſe ades feſſis Mariane rebus.
Tu preces audi miſerorum, & iras
Siſte tonantis.

GRATIANVS FVLGINAS P. G.

ANNO Chriſti MDI. Comitia Ordinis habita ſunt Firmi in Piceno, in quibus Prior generalis declaratus eſt Gratianus Fulginas Vmber theologus, qui præfuit annis tribus.

Franciſcus de Zampano Calaber, vir nimiæ ſimplicitatis, vitæ tamen merito, & religionis zelo multum venerabilis, in Calabria extrema Italiæ regione Congregationem quandam auſpicatur.

Monaſterium S. Mariæ de Gratia Eburæ in Luſitania, paruũ quidem his diebus habuit initium, quod poſtea amplificatum fuit à Ioanne tertio Luſitaniæ rege.

Monaſterium Matris Dei Aſtigitanum, in regno Caſtellæ fundari cœptum.

Anno 1504. Zachariæ Sauonenſi defuncto, in officium Sacriſtæ ſiue Cuſtodiæ ſacrarij Põtificij, ſufficitur, Nicolaus Aquilenſis theologus inſignis, qui deinde creatus fuit Dyrrhachienſis Archiepiſcopus.

Antonius de Fuentes diœceſis Toletanæ ſanctitate & doctrina clarus, cuius ſuaſionibus Saraceni Hiſpali cõmorantes Chriſtianam religionem amplexi ſunt, collapſa quædam monaſte-

ria

ria regni Caſtellæ in frugalitatem obſeruantiamque priſtinam reduxit. Qui deinde cum ſe in Italiam ad Comitia Arimini celebrata contuliſſet, facultatem obtinuit commorandi in quadā Eremo prope oppidum de Harenas, vbi tandem ſanctè ille, pieque diſceſſit è vita.

Martinus Vllate de Eſtella Cantabriæ oppido, ex illuſtri familia Viamontenſium ortus, conſilioque regali Nauariæ præſidens, ſpretis huius mundi inuitamentis Ordinem noſtrum ingreſſus, ſuaque præclara eruditione & ſanctitatis fama concionator Apoſtolicus deſignatus, fructus in agro Dominico tulit nimirum vberrimos & præſtantiſſimos. Diem ſuum obiens ſepelitur Eſtellæ intra eccleſiam monaſterij, quod à ciuibus ob in cum obſeruantiam extructum fuit, cum antea extra oppidum, & populi frequentiam iacuiſſet.

Hieronymus Romanus theologus & concionator inſignis, cum per ſacrum Quadrageſimæ tempus Neapoli prædicaret, adeo commouit vniuerſam ciuitatem, vt nemo multis antea annis maiori aut concurſu aut ſtudio auditus ſit. Is fertur tractatus nonnullos ſcripſiſſe, ſed ego legi dumtaxat conciones quaſdam ſuper Euangelijs Quadrageſimæ, quæ Romæ in monaſterio ſancti Auguſtini extare ſolebant. Deceſſit iuuenis, nondum quintum ſupra trigeſimum agebat annum, Die 8. Octob. 1507.

Baſilius de Ripa Brixienſis, ab ipſa pueritia bonarum artium litteras impenſe amauit, excoluit, & didicit. Qui ex continuo labore atque exercitatione taliter in eis profecit, vt talis tandē theologus & concionator euaſerit, quales hæc ætas rariſſimos nutriebat. Compoſuit librum, De vita priuata, ad Reuerendū Patrem fratrem Benignum de Ianua. Poſt exordium incipit: Varios de te loquentium ſuſcitaſti ſermones amicorum, Item, Tractatum cui titulus eſt, Publica deſcriptio ficulneæ cucurbitæque: cuius initium, Ficulneam in agello ſuo colonus quidā plantauit. Scripſit quoque vitam beati fratris Bartholomæi de Palazzolo, ad Reuerendum D. Paulum de S. Geneſio epiſcopū Heleneapolitanum. Item, libellum in Iure Canonico, & orationes non paucas. Conciones vero ſacras, quas gratiſſimas fece-

rat,

rat, ſumma cum induſtria in vnum coegit volumen duobus libris diſtinctum, quorum vnum nominauit Aduentarium, aliud Quadrageſimale. In Aduentario tractat de Laudibus ſacræ ſcripturæ, de Miraculis, de Spe, de Verbo incarnato, de Laudibus S. Ioannis Euangeliſtæ, de Educatione filiorum, de Adoratione Magorum. In Quadrageſimali, de Dignitate verbi Dei, de Charitate, de Conuerſione hominis, de Virtute pænitentiæ, de Iuſte viuendo, de Iudicio uniuerſali, de Confeſſione, de Abſtinentia, de Cognitione peccatorum, de Conſcientia, de Iudicio temerario, de Lingua venenata, de Laudibus viduitatis, de Tribulationibus, de Defectibus fidei, de Infelicitate mundana, de Sacramento altaris, de Paſſione Chriſti, de Reſurrectione, de Prudentia, de Pace. Quæ omnia cuſtodiuntur in bibliotheca noſtra S. Barnabæ Brixiæ, vbi ſepultus iacet.

Iacobus Philippus Foreſtus Bergomenſis, uir diuinarum ſcripturarum ſtudioſus & eruditus, & in ſecularium litterarum diſciplinis nobiliter doctus, ingenio præſtans, eloquio diſertus, uita & conuerſatione præclarus, hiſtoriographus celeberrimus, ſcripſit quædam luculentiſſima opuſcula, quibus nomini ſuo memoriam perpetuam apud poſteritatem comparauit. E quibus extat Opus hiſtoriarum ab initio mundi uſque ad annos domini Mille quingentos & tres, uolumẽ grande, & inſigne, quod multo & diuturno labore ex diuerſis coagmentãs prænotauit:

Supplementum chronicorum, lib. 16. ad Reuerendiſs. Antoniotum Cardinalem S. Praxedis.

De claris mulieribus Chriſtianis, lib. 1. ad Beatricem Aragoniam, Hunnorum & Boemorum Reginam. Incipit: Scripſimus iamdudum ſacratiſſima Regina. De alijs nihil uidi. Deceſſit ſenex (ſeptuageſimum quintum annum attigerat) apud ſuos Bergomenſes an. ſal. 1518. in templo noſtro S. Auguſtini ſepultus. Huius Iacobi opera monaſterium Bergomenſe in Ordine vetuſtiſſimum, renouatum eſt.

Paulus Zabarella Patauinus, cognomento Bonus, qui ab ineunte adoleſcentia religioni addictus humanarum ſimulq. diuinarum litterarum utrobique per quàm eruditus euaſit, atque

in hac

in hac eremitarum familia maxime floruit. Erat enim theologiæ diſciplina inſignis, & in cōcionando inter omnes ſuæ ætatis præcones longe primus. Is monaſterium Patauinum & ædibus & porticibus ſua munificentia ſpecioſius exornauit. Creatus tandem Archiepiſcopus Parienſis, in Patauina eccleſia, Cardinali Cornelio perpetuæ adminiſtrationis titulo commiſſa, Propræſulem quoad vixit in ſpiritualibus & in cunctis alijs rebus ſtrenue ſe habuit: ſed in eo præſertim ab omnibus præcipua laude commendatur, quòd in dandis de more inſignibus in omni ſtudiorum genere candidatis, tanto ſemper eloquentiæ flumine vel in ſubitis ſermonibus dicendo fluebat, vt eius oratio melle dulcior & omnibus admirabilis videretur. Aetatis iam prouectæ ſcripſit ad Clementem ſeptimum Pont. Max. De reformatione eccleſiæ, eleganter & ſatis appoſite, libellum, quem egomet legi, & nunc extat in penitionibus cellis bibliothecæ Vaticanæ. Reliquit item elegantes omnis generis orationes. Scripſit quoque in ſeptem Pſalmos pænitentiales enarrationem lectu digniſſimam. Obijt Pauij an. ſal. 1525. die 25. Iulij, & in eccleſia noſtra Eremitarum in ſacello Ouetariorum familiæ, vbi inſigne ſepulchrum marmoreum viſitur, ſepultus eſt, hoc epitaphio, quod poſt eius obitum Franciſcus Sauonarola poeta Patauinus cecinit.

Doctus adit cælum facundo carmine Flaccus,
 Et ſtella Euganei lumen vterque ſoli.
Nomen ad æthereum Pataui lux mittit olympum,
 Romanæ princeps Liuius hiſtoriæ.
Paulus in eloquio, Corneli, numine cælum
 Poſſidet, Aonias hinc ſacer tranſit aquas.
Quantum alijs igitur numeris, aut ore ſoluto
 Antenor debet, tam Zabarella tibi.

AVGVSTINVS DE INTERAMNA P. G.

ANNO Chriſti MDV. Comitia ordinis Peruſij octauo idus Septembris habita ſunt, in quibus Gratiano de-

functo Prior generalis ſubrogatur Auguſtinus Interamnenſis theologus.

Monaſterium S. Nicolai de Tolentino in Gallia non longe à ciuitate Lugdunenſi, in loco qui vulgo Burgumbreiſſiæ vocatur, à domna Margareta Maximiliani Imperatoris filia, & Philiberti Secundi Sabaudiæ ducis vxore, cœptum eſt ædificari, approbante Iulio ſecundo Pont. Max. & certis priuilegijs illud cohoneſtante. Hodie Eccleſia intus & foris conſtructa eſt ex lapide albo, mira arte inciſo, diuerſiſque ſculpturis lapideis ornato.

Dionyſius de Murcia Hiſpanus Archiepiſcopus Meſſanæ Siciliæ vrbis: qui in Academia Pariſienſi, vbi doctoris ſuſcepit inſignia, theologiam prope decem annis publice profeſſus eſt.

Paulus Genazanenſis, vir linguarum peritia & varijs ſcientijs apprime ornatus, inter ceteros ſuos labores, Pauli Veneti Summam philoſophiæ naturalis, librariorum incuria vitioſam & corruptam, puram, incorruptamque typographis excudendam tradidit.

Hieronymus Patauinus epiſcopus Argolicenſis, vir & religione & ſtudijs litterarum conſpicuus, orationes aliquot & ſermones non vulgares poſteritati prodidit.

Ioannes Benedictus Moncettus de Caſtellione Aretino, philoſophus & theologus inſignis. Qui cum Patauij in loco noſtro Eremitano academiam regendam ſuſcepiſſet, maxima documenta ſui ingenij ac virtutis præbuit, dum per hoc tempus quaſdam aduerſus Scotiſticas ſubtilitates defenſitaret cóclusiones, quas ipſe late explicat in libro à ſe edito, qui inſcribitur: Tractatus aureus De diſtinctione rationis contra Scotum. Is etiam fuit Vicarius Ordinis in Gallia, vt prouinciæ Franciæ & Narbonæ corruptos mores reformaret, corrigeretq.

Ioannes Bechofen Gallus librum edidit, titulo, Quadruplex Miſſalis expoſitio, litteralis, allegorica, tropologica, anagogica, per Michaelem Furter Baſileæ an. dom. 1509. impreſſa.

Gotſcalcus aliàs Godeſcalcus, Hollen, Germanus, vir multũ religioſus, ac in omni facultate peritus, ſacrique eloquij præco

cele-

celeberrimus, in decem præcepta longos ſcripſit cõmentarios, qui Præceptorium diuinæ legis inſcribuntur. Nurimbergæ excudit Antonius koberger anno dom. 1497. Deinde Federicus Peypus an.dom. 1521.

Ambroſius Calepinus (eſt autem Calepium oppidum in Cenomanis ad XIV. lapidem à Bergomo Brixiam verſus, ad colles in ſiniſtra parte poſitum) diuinarum & humanarum litterarum indagator ſtudioſiſſimus: vnde opus pergrande ſua induſtria, magno labore ex innumeris prope auctoribus collectum, de vocabulorum notitia, ac præpoſitionum interpretatione Græca & Latina, cum auctorum atteſtatione, nobis hoc æuo commune fecit. In quo non ſolum quæ ad litterarum & poetarum, & oratorum cognitionem plurimum conferunt, ſed etiam quæ ad medicos, philoſophos, necnon doctores eccleſiaſticos pertinent vocabula, docte ſatis eleganterque explicauit, explicata in veriorem lucem quàm in quibuſdam alijs codicibus conſimilibus legenda reliquit: quæ profecto doctis pariter & indoctis non mediocre attulerunt adiumentum. Hinc enim factum eſt, vt quæ apud barbaros iam barbara euaſerunt, Latina fiant: quæ vero apud doctos in dubium reuocabantur, nunc certa claraque ſunt, diſcuſſa dubietatis nebula. Videtur & alia quædam ſcripſiſſe: nam vbi Venetiarum mentionem facit, de huius (inquit) ciuitatis laude, quoniam apud Iacobi Philippi chronicas à nobis latè congeſtum eſt, duximus omittendum. De quo etiã in libro qui inſcribitur Supplementum chronicarum, idem Iacobus Philippus ita refert: Ambroſius Calepinus conterrareus & coetaneus meus, meiq. inſtituti profeſſor, cuius conſuetudinis ſuauitate iugiter fruor, his temporibus nobiſcum dulciter cohabitans innumerorum doctorum elucubrationes ſua induſtria magno labore opus pergrande atque inſigniſſimum de vocabulorum omnium notitia ſolerti indagatione collegit. Illudq. tandem dictum, vt in pluribus ſpargeretur atque diffunderetur, etiam imprimi curauit, idque docta & eleganti epiſtola ad Senatum Populumque Bergomenſem miſit. Hæc ille. Obijt Bergomi valde ſenex an. ſalut. 1510. & in eccleſia noſtra S. Augu

ſtini ſepultus iacet. Dictionum interpretamenta olim quidem à ſe edita, ſenex diligentius amuſſitata iterum collegit, & caſtigatiora,& vberiora dicauit Egidio Viterbienſi Auguſtiniani gre gis eremitarum Priori generali.

EGIDIVS VITERBIENSIS P. G.

ANNO Chriſti MDVII. Conuentus Ordinis Neapoli vndecimo calendas Iunij peragitur, vbi Prior generalis creatus eſt Egidius de Viterbio, qui prædicandi gloria,trium linguarum peritia,apud principes gratia,ſuo ſæculo illuſtriſſimus fuit. Præfuit autem Ordini annis vndecim. In his comitijs inter alia conſtitutum, vt nemo in academijs Ordinis recipiatur, niſi reformate ſe publice victurum promiſerit. Regens per hebdomadam quinquies legat & diſputet, vacationes vltra tres menſes in toto anno non faciat. Qui in Italia vltra duos menſes ab academijs abfuerint, recipi non poſſint. Ex ſeminario ſiue nouitiatu Nouitius non deducatur, nec ad aliquos ſacros ordines, nec ad gradum aliquem quiſpiam promoueatur, niſi publice profeſſus:ſit aliàs promotio ſit nulla.

Anno 1508. Iulius Secundus Pont. Max. confirmat omnia priuilegia,indulgentias & gratias quomodolibet Ordini conceſſa.Extendit ad ordinem, aliorum Mendicantium priuilegia,exēptiones, indulta, indulgentias & gratias. Vult nos poſſe recipere quæcunque loca oblata vel conceſſa, de licentia ordinariorū locorum,abſque alia facultate Sedis Apoſtolicæ de ſuper obtēta. Concedit,vt Prior generalis ſeu eius Vicarius poſſit benedicere veſtes, corporalia, & indumenta quæcunque pro diuino cultu. Vult nullum fratrem poſſe abſque licentia Prioris generalis ad alium ordinem etiam Mendicantium,etiam prætextu arctioris regulæ tranſire, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam tam ipſi tranſeuntes quàm recipientes ipſo facto incurrant. Item, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus vere pænitentibus & confeſſis, qui eccleſias, oratoria, & loca ordinis in ſingulis S.Auguſtini,& Nicolai de Tolētino, ac S. Monychæ

feſtiuitatibus diebus, à primis veſperis vſque ad ſecundas veſpe ras feſtiuitatum earundem incluſiue, deuote viſitauerint, & inibi manus adiutrices porrexerint, centum annos & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs, miſericorditer in Domino relaxat. Concedit, vt Frater quilibet de licentia ſui ſuperioris poſſit eligere ſibi confeſſorem ſui ordinis, qui eum ab exceſſibus & delictis abſoluat, ac ei pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem iniungat, ac ſemel in vita, & in mortis articulo plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem elargiatur. Dat. Romæ apud S. Petrum, VII. cal. Iulij. Pontif. an. 4.

Anno 1509. idem Pontifex, expreſſe decernit, nobis perpetuo licere, poſſe capere quæcunque loca, domos, eccleſias, etiã parochiales, ac cuiuſcunq; ſint ordinis aut conditionis, abſque alia Sedis apoſtolicæ conceſſione. Confirmat priuilegia, intelligens tam de ijs quæ Maremagnum continet, quàm de alijs omnibus apoſtolicis conceſſionibus, quarum apud nos, aut apoſtolicæ litteræ, aut illarum authentica exempla ſeruantur. Confirmat priuilegiorum communionem inter nos mendicantesque alios, decernens ac volens, quidquid vſque in hunc diem Ordini Minorum, aut Prædicatorum, aut Carmelitarum, aut Seruorum, conceſſum ab apoſtolica Sede eſt, & quidquid in futurum concedetur, nobis conceſſum eſſe, fratresque noſtros eiſdẽ conceſſionibus perpetuo uti poſſe, perinde ac ſi nobis nominatim conceſſa eſſent. Dat Priori generali, eiuſque Vicario poteſtatẽ ſacrandi benedicendiq; corporalia, ueſtes, & ea quæ ſacris uſibus neceſſaria ſunt. Statuit, ut nullus frater habitum ordinis ulla auctoritate relinquat aut mutet, niſi litteras à Priore generali obtinuerit: Et ut promotio ad ſacros ordines, ſit & habeatur loco profeſſionis. Dat. Romæ apud S. Petrum die 17. Iunij, pontif. an. 5.

Anno 1510. Idem Pontifex confirmando omnia noſtra bona cum ſuppletione defectuum, ſtatuit, ut impetrationes de domibus noſtris ac rebus alijs ſub quibuſcunq; uerborum formis etiam derogatoriarum derogatorijs & alijs fortioribus, &c. niſi in his faciendis Generalis & Prouincialis Priorum acceſſerit aſ-

ſen-

ſenſus, nullum obtineat robur, & pro nullis & infectis ſemper habeantur: & ut res omnes & perſonæ ordinis ſint immediate ſub Sede apoſtolica.

Anno 1511. Nicolao Archiepiſcopo Dyrrhachij defuncto ſubſtituitur ſacrarij pontificij cuſtos, & Archiepiſcopus Dyrrhachenus Gabriel Anconitanus theologus, vir ſumme probus, & in ſacris eccleſiæ cæremonijs peritiſſimus. Is Nicolaus vir fuit egregiæ doctrinæ, & tam ſuis quàm cunctis qui eum norant, ſua lenitate & affabilitate cariſſimus, cuius etiam extant quidã & docti & elegantes tractatus, nempe

De Baptiſmo, lib. 1.
De Peccato originali, lib. 1.
De Inferno, limbo, & purgatorio, lib. 3.
De Pænitentia, lib. 1.
De Mercatura & negotiatione, lib. 1.
De Sortilegijs & vanis perſuaſionibus, lib. 1.
De euitanda ingratitudine, lib. 1.
Sermones Sanctorum, lib. 1.

Obijt Romæ valde ſenex die 25. Octob. & Aquulæ ſua in patria clarus, ibidem in templo D. Auguſtini ſepultus eſt.

Fratres quidam in Illyrico, quòd hodie Sclauoniam vocant, attendentes in ea regione, præſertim vbi Dalmatia eſt, monaſteria aliquot fuiſſe à primæuis Ordinis inſtitutis ad corruptum viuendi modum dilapſa, curarunt vt inſtaurarentur, eaque ibi ageretur vita, quæ religioſos decet. Hinc Congregatio S. Auguſtini Dalmatiæ.

Monaſterium Monialium S. Mariæ de Gratia Abulẽſe in Hiſpania, fundatur à quibuſdam nobilibus mulieribus, quæ cum prius Beatarum ſumpſiſſent habitum, ob earum poſtmodum religioſam vitam fuere ſacro velo amictæ, hodieq. multum in eo viget & religio & nobilitas.

Monaſterium S. Mariæ de Ieſu oppidi Gueciæ in Bætica, extruitur à D. Tereſia Enriquez, ſed à Mauris qui à Philippo Hiſpaniarum rege rebellarunt, fuit exuſtum & omnino deletum an. dom. 1568.

Mona-

Monaſterium S. Mariæ Paradiſi oppidi Chincon in regno Caſtellæ, ab Andrea Cabrera & Beatrice Bouadilla marchionibus Mogiæ, extruitur, & facultatibus donatur.

Monaſterium Monialium S. Crucis in ciuitate Ruſticana, quam hodie Rodrigo vocant, à D. Beatrice Packeco extruitur, in quo & ipſa profeſſa eſt, & vitam egit aſperrimam.

Eccleſia S. Cataldi extra vrbem Tarentum in Calabria, Ordini donatur. Is ſanctus fuit Hiberniæ inſulæ antiſtes, cuius corpus Tarenti repertum eſt.

Anno 1511. Comitia ordinis habita ſunt Viterbij ſexto idus Iunij, præſidente Cardinali Farneſio Ordinis protectore, qui poſtea Pontifex Max. creatus, dictus eſt Paulus tertius. Confirmatur Prior generalis Egidius Viterbienſis.

Deſiderius Parodius Genuenſis theologia & iure pontificio celebris, duos edidit tractatus, alterum De paghis, quæ fiunt in Monte S. Georgij Genuenſis, ad inſtantiam nobilis cuiuſdã ſui amici. Alterum in quo docetur, Quomodo homo cum Deo viuere poſſit. Primus incipit: Non poſſum non dolere vehemẽter mi dilecte. Secundus incipit: Omnis homo qui illam ineffabilem vitam. Hi libri, vnà cum tractatu de Cambijs Ioannis Baptiſtæ Signorij Genuenſis, in gratiam ſuorum ciuium conſcripto, Genuæ in monaſterio noſtro S. Auguſtini aſſeruantur.

Antonius Dulciatus Florentinus, vir acutiſſimi ingenij, ſcripſit opus celeberrimum, Computum ſolis & lunæ cum ea quæ ad clericos ſpectat aſtronomiæ ratione, inſcriptum: quod Egidio Priori generali dicauit, & Romæ in archiuo Ordinis aſſeruatur manuſcriptum. Huic Dulciato, opus ſuum de Computatione annorum domini, dedicat Ioannes Maria Lucidus Dominicanus.

Philippus de Mantua cognomento Longobardus, doctos in Apocalypſim Ioannis edidit commẽtarios, & Pariſijs vbi rebus theologicis operam nauauit, titulos qui tam ſanctæ profeſſioni deferri ſolent, accepit.

Nicolaus Veronenſis, vir in omni varietate ſcripturarũ egregie doctus, & in componendis monaſterijs & ſolers & diligẽs,

qui

qui in Priorem primo Bononienſis, deinde Veronenſis monaſterij, & poſt in vtroque in Vicarium generalem aſſumptus, nō ſolum in obſeruantia regularis diſciplinæ, ſe ſtudiorū exhibuit, ſed etiam in conſeruandis poſſeſſionibus, ampliandisque, magnam diligentiam adhibuit. Loca quoque conuenientibus fabricis nobilitauit, & multis ornamentis decorauit. Scripſit etiā inter cetera, Vitam S. Nicolai noſtri Ordinis, verſu heroico. De Muſica quoque, varios dulci compoſuit modulamine cantus. Moritur Clodiæ, dum Bononia in patriam iter faceret, die 28. Nouembris 1514. ſuæ ætatis anno 46. cuius corpus Veronam aſportatum, ibidem in eccleſia noſtra S. Euphemiæ ſepultum iacet.

Guichardus de Leſſard patritius Lūgdunēſis, epiſcopus Hierapolita, philoſophus & theologus inſignis, cuius extant nonnullæ in genere laudatiuo epiſtolæ, quas Simphoriano Champerio Lugdunenſi, medico & philōſopho celeberrimo, ſcripſit.

Ioannes de Cruce Ambianenſis Gallus, doctrina, moribus, ingenio præſtans, & in cōcionibus ſacris eximie charus, ſcripſit Homilias in Euangelijs, quæ toto anno Dominicis & feſtis diebus in eccleſia recitantur. Moritur Pariſij an. dom. 1525. & in loco noſtro S. Auguſtini ſepultus iacet.

Anno 1512. Concilio Lateranenſe celebrari cœptū. In quo primam orationem eamq. ornatiſſimam habuit Egidius Prior generalis. De quo Iacobus Sadoletus, Petro Bembo ita ſcribit: Habes Bembe orationem Egidij Viterbienſis, quam tanta ope expetiuiſti, dignā illam quidē propter elegantiā quæ ab ijs potiſſimum legatur qui iudicare aliquid de præſtantibus ingenijs poſſunt, ſed & alijs quoque commendationibus prælucentem, tū quòd magna auctoritate Lateranenſis principia concilij auſpicata eſt, quod à Iulio ſecundo Pont. Max. paulo ante inſtitutum ſanctæ Chriſtianæ Reipub. optamus fore ſalutare; tum quòd ab eo viro eſt, quem ego & tu ſæpe ſoliti ſumus in ſermonibus noſtris clariſſimum huius ſæculi tamquam obſcuraſcentis lumen appellare.

Anno 1513. Leo decimus Pont. Max. vult priuilegia noſtra

omnia

omnia integre & ad verbum vt ſonant, pleniſſime atque inuiolabiliter vbique gentium obſeruari. Irritum decernit eſſe & inane quidquid à Sede apoſtolica ſine conſenſu Generalis impetratur, quod iuribus Ordinis, legibus quoque, regulæ, conſtitutionibus & ordinationibus aduerſatur. Vt omnes noſtri Ordinis tam res quàm perſonæ ſint immediate ſub Apoſtolica ſede. Vt ſi ſæculares noſtro Mari magno vel cuiquam conceſſionum noſtrarum contraire temere audeant, pro excommunicatis publicentur: ſi clerici, etiam dignitatibus & beneficijs eccleſiaſticis ſint priuati, eaque libere impetrari poſſe decernit. Vt nullus noſtri Ordinis frater ulla occaſione ab alio extra Ordinem abſolui poſſit, niſi de licentia Generalis, aut Prouincialis cui ſubditus erit.

Anno 1515. Conuentus Ordinis Arimini 6. calen. Iunij habitus eſt, in quo idem Egidius Prior generalis confirmatur.

Anno 1517. Concilio Lateranenſi abſoluto & comprobato, Leo Pont. Max. inter vnum & triginta Cardinales ex toto terrarum orbe conquiſitos, creauit & Egidium Viterbienſem Priorem generalem, qui deinde functus eſt legatione in Hiſpaniam, cum Selymo poſt debellatos Perſas, & duos Memphiticos reges interfectos, nobis arma comminante, Chriſtianæ gentes ad ſacrum bellum excitandæ viderentur.

Auguſtinus Fiuizanenſis Hetruſcus doctor Pariſinus, ac vir ſingularis ingenij, tantæ auctoritatis & gratiæ apud Egidium Generalem extitit, vt eidē negotia Ordinis in Gallia præſertim difficilima ſuper omnia cōmiſerit. Aiunt hunc aliqua digna immortalitati à ſe edita commendaſſe, ſed vſque modo nihil vidi præter ſermones varios ſapientiſſimis ſententijs ornatos.

Antonius Melius Cremonenſis, doctor Pariſinus, ſcripſit libellum ſatis vtilem, cui nomen eſt, Scalæ paradiſi. Edidit quoque tractatum, De vero & legitimo intellectu priuilegiorum: & alium librum titulo, Lectio prima & breuis introductio, quaſi prima elementa præbens iuuenibus qui Iuri canonico ſtudere incipiunt. Quæ omnia impreſſa circunferuntur. Deceſſit Cremæ, & in templo noſtro S. Auguſtini ſepultus iacet.

Rodericus Sanctæ Crucis Luſitanus, vir in omni doctrinarũ genere eruditus, ſummaq. religione præditus, quẽ Emmanuel Luſitaniæ rex plurimum venerabatur, Vlyſpone vbi litteras humanas & diuinas docuit, lectiones in Ariſtotelem & Magiſtrũ ſententiarũ ſcripſit, quæ in bibliotheca Conuentus noſtri Vlyſſiponenſis cuſtodiuntur.

Bernardus Andreas patria Toloſanus, homo eruditus, & poeta vt in illa ætate excellens, artes fere omnes quas liberales vocant, tamquam ex redundantibus fontibus ad ſaturitatem hauſit. Eſt autem Toloſa, Narbonenſis Galliæ nobiliſſima ciuitas, Tectoſagum olim à Plinio dicta. Ab ea decedens Bernardus, videndarum terrarum gratia, in Angliam Londinum vſque peruenit. Hinc, eſt ab Henrico Octauo Anglorum rege, tunc catholico, in aulam accitus, ac regij poetæ nomine ſtatim inſignitus. Qui vt pleniori obſequio tunc tanti regis demereretur animũ, diuerſi generis carmina edidit, eique dedicauit.

Hymnos ſacros per totum annum, lib. 3.

Vitam D. Andreæ Apoſtoli, lib. 1.

Atque alia multa, quorum tituli non occurrunt. Claruit fere ſexagenarius, & Londini tandem obijt, apud ſuos Auguſtinianos ſepultus.

Gaſpar Ammonius theologiæ doctor, prouincialis præſes Auguſtinianæ familiæ in Laugingea ſiue prouincia Sueuiæ, multarum linguarum præſertim linguæ ſanctæ peritia inſignis, quo in Germania multi qui in eadem lingua digni nomine euaſerũt, vſi ſunt præceptore. Scripſit,

Grammaticam Hebraicam, in quinque libris diſtinctam.

De litteris, ſyllabis, & punctis omnibus.

De nomine prima parte orationis cum pronomine.

De verbo & participio ſecunda parte orationis.

De conſignificatiuo quadruplici tertia parte orationis, & omnium trium partium inter ſe conſtructione, & regimine.

De proſodia, hoc eſt, de triplici accentu, & carmine componendo.

Sin-

Singulis libris ſua capita cum argumentis præponuntur.

Dionyſius Vazquez à Toleto, & in Hiſpania, & in Italia, Romæ præſertim, celeberrimus, hoc ſæculo claruit. Is ſummo ingenio & prudentia præditus, inque ſacrarum litterarum ſtudijs atque optimis artibus exercitatus, quæ ſciri ſine ſumma difficultate non poſſunt, verbis adeo appoſitis conſtruebat, plenioraq; ac euidentia reddebat, vt imperita quoque plebs à ſuis concionibus non tantum religioſa, ſed etiam docta diſcederet. Et quadam die Romæ cum habuiſſet orationem coram Leone Pont. Max. & Reuerendiſſimis Cardinalibus, pedeſque Pontificis oſcularetur, Pontifex ad Cardinales & ad alios proceres conuerſus quadam admiratione dixit: Putabam Dionyſium eſſe in cælo, & nihilominus hodie vidi illum in terra. Denique rogatus, vt ad Complutum in regno Toletano, vbi omnium artium ſcientiarumque verus eſt academia, accederet, ibique ſacras litteras explanaret, onus atque munus ſuſcipiens, eam multis annis rexit, omnes ipſe vitæ & doctrinæ fama ad ſuam ſcholam cō uertens. In qua præter alia multa explanauit Euangelium ſecūdum Ioannem, & beati Pauli ad Romanos epiſtolam, quæ expoſitiones vtinam ederentur, nobiſque communes fierent. Deceſſit paralyticus ætate prouectus, & Toleti vbi ordinē profeſſus eſt, ſepultus iacet. Ea quoque poſt hæc ſubijcere viſum fuit, quæ Dionyſius præfati Dionyſij ex fratre nepos ad Ioannem Ferdinandum Sanguenſem ſacræ theologiæ profeſſorem miſit. F. Dionyſius Vazquez in ſacra theologia magiſter Toleti honeſtis natus parentibus, florenti ætate, & præclara doctrinæ opinione clarus, in Toletano cœnobio Auguſtinienſium, q̄ eſt Deiparæ Virgini ſacrum, ſæculo renuntiauit: vbi cum primo religionis lacte inter æquales adoleſcentes imbueretur, hoc de illo teſtimonium dabat præfectus nouitiorum, vir alioqui & theologus & concionator non vulgaris, maiorem ſibi vno anno ſacræ doctrinæ acceſſionem factam, dum nouitium ſuum atque alumnum Dionyſium de rebus diuinis diſſerentē audit, quàm toto ſtudiorum ſuorum tempore. Primus hic in Hiſpania germanum ac litteralem ſacrarum litterarum ſenſum populis inter

concionandum enucleauit, cum antea in hac parte tam neceſſa ria minus ſtudij atque induſtriæ concionatores ponerent. Leo Decimus, Cæſari Carolo Quinto volens gratificari Dionyſiū ad eum miſit hac in litteris præfatione orſus: Mittimus tibi alte rum Eliam: ab eoque tempore pontificius & Cæſareus concionator fuit appellatus, & vtriuſque principis liberalitatem ſemper eſt expertus: à Cæſare vero oblatum opulentum recuſauit epiſcopatum. A Carolo autem Cæſare tantum ei tribuebatur, vt cum libentiſſime & frequentiſſime in medijs etiam bellorum fluctibus illum audiret, aſſeueraret ſeſe ita exiſtimare nullum vſquam artificem excellentius in aliqua arte verſari, quàm Dionyſius in concionandi munere & Euangelico verbo populo interpretando verſabatur. Cum ſemel eſſet in Germania de religionis & fidei controuerſijs cum Martino Luthero diſputandum, & viri deſiderarētur ad eam rem maxime idonei, ſeſe Cæſar incuſans clamauit multis præſentibus: O Dionyſi cur ego te in Hiſpania manere ſum paſſus. Illos qui diuitiarum quærendarum cauſa ad Indos noui orbis accolas ex Europa nauigabant, longo circuitu atque errore in Infernum proficiſci aiebat, cum medius inter nos & illos antipodas, inferni locus ſit, quo facilius atque ſimplicius ſine tanto marium atque terrarum diſpendio perueniri ex Europa poſſit. Cum Compluti ſacram ſcripturam enarraret, vniuerſi pene academiæ illius doctores inter auditores Dionyſij viſebantur: dicebatque ſubinde nullum in orbe terrarum doctorem talem eruditarum aurium faſciculum poſſe colligere, qualem ipſe quotidie intuebatur: erat enim viro eruditiſſimo iucundum ſpectaculum, quadraginta aut his plures ſacræ theologiæ magiſtros ad lectionum ſuarum auditionē coeuntes inter diſcipulorum ordines cernere. Cur Euangelij Ioannis enarratio, & alia Dionyſij monumenta, quæ à viris doctiſſimis inter pretioſa bibliothecarum ſuarum volumina manu ſcripta aſſeruantur, typis hucuſque excuſa non ſint, hæc cauſa eſt, quòd cum Hiſpanis ſcripturam explicaret, lingua Hiſpanica quàm plurima pronuntiabat, & tanta venuſtate atque eloquentia Latino idiomati vulgare intermiſcebat, vt nullus dein-

ceps ſit auſus aut totum Latine opus, aut totum Hiſpanice pro dignitate reddere. Erat enim vir ille in vtraque lingua mire facundus,& Græci ſermonis non imperitus. Eius ſane conciones, quæ plurimæ Hiſpanica lingua circunferuntur, multos magni nominis atque eruditionis viros ipſis non diffidentibus haud mediocriter iuuare ſolent. Obijt Toleti anno à Deipara Virgine 1539. ipſo die ſanctiſſimæ Trinitatis, quem diem multo antea vitæ ſuæ fore extremum non paucis audientibus prædixerat.

GABRIEL VENETVS. P. G.

ANNO Chriſti MDXIX. Synodus Ordinis coacta eſt Venetijs tertio idus Iunij, Egidio Cardinali præſente & inſpectante, qui paulo ante à legatione Hiſpanienſi reuerſus, Venetias appulerat: in qua Prior generalis in Egidij locum ſublegitur Gabriel à Volta Venetus theologus, homo gnauus & induſtrius,& ad optima quæque munia promptiſſimus qui præfuit annis decem & octo. In his comitijs inter alia multa conſtitutum fuit, vt Prouinciales vltramontani intra duorum menſium, citramontani vero intra vnius ſpatium, per Priorem generalem ſeſe confirmandos curent: vltra præfixum tempus officio fungi prohibeantur,præter Anglicos, Vngaros, & Orientales tantum,quibus ſpatium conceditur quattuor mēſium eiuſdem confirmationis obtinendæ. Prioribus nullis perpetua domus vllius cura demandetur, ſed ſingulo ſaltem biennio canonica renouetur electio. Locorū prouentus nemo Priorum tractare audeat, ſed tantum rationibus acceptorum & datorum aſſiſtat: at ſi bona diſſiparentur opportunum adhibeat remedium,non tamen propterea ad ea vel recipienda vel expēdenda apponat manum. Aedificia quoque magni ſumptus nemo agrediatur, niſi artis peritorum conſilio, & tam Conuentus quàm Prouincialis conſenſu habito.

Anno 1522. Philippus Aimillo de Penauilio, cum Solimanus Turcharum rex Rhodum inſulam occupant, licet nō armis

inimi-

inimicos perſequeretur, hortationibus tamẽ & precibus, equitum animos in Turcas inflammare numquam deſijt, qui tandẽ Turcarum ictibus vulneratus ſanctè obijt.

Monaſterium S. Stephani Venetijs, Prioris generalis impenſis reparatur ac diligentius extruitur. Cuius fabricæ meminit Petrus Bembo lib. 6. epiſt. famil. Gabrieli Ordinis Auguſtinianorum magiſtro. Cum Venetias proximis diebus me contuliſſem, veni ad Stephani, aſcendique ad tuum cubiculum vt te ſalutarem, fruſtra. Aberas enim Tauriſum profectus. Quãquam nec fruſtra quidem. Nam cum deſcendere in templum vellem vt aſſiſterem ſacris, tui me pueri per totam ædificationem deduxerunt, quam quidem auide inſpexi. Erat enim non miro ſolum iudicio confecta, vt ſocij tui qui ante te in templum deſcendebant, longa & populari via, nunc multo breuiore, eademque ſecretiore vterentur, pertingit enim à ſociorum cubiculis ad phanum, ſed impenſa prope regia & artificio luculento. Scalæ primum occultæ atque ab alia parte ædium lapide Illyrico perfaciles perque commode. Deinde riui tranſmiſſo ponte lapideo atque tecto, vt itio reditio perſpici non poſſit. Deinde non ſane magna, vel puſilla potius, ſed tamẽ concinna atque hilarula porticus quam columnæ ſubſtinent, cum areola, & puteo cui lauacrum eſt adiunctum ad ſacerdotum miniſteria affabre quidem factum, vt nihil poſſit eſſe politius, nihil venuſtius. Sacrarium poſtremo concameratum duplex, magnum quidem, ipſum altum, luminoſum, à fundamentis poſitum, vt reliqua omnia, mira incredibilique dignitate. Feneſtræ atque oſtia opere egregio ac pereleganti. Pauimentum, candido purpureoque lapide teſſelatum. Sacrarum veſtium & argenti armarium, atque ſedilia, pulcherrimo ex ligno, & quidem aducto Germania, arte diligentiaque mira. In quo ipſo ſacrario etiam ara peruenuſta, cum ſepulchro quo tibi ipſe poſuiſti. Quibus in ſingulis ita nihil par ſiſti vel materiæ vel operæ, vt ſi ciuitas ipſa publice id efficere voluiſſet, non te modo ſuperare atque vincere, ſed ne æquare quidem certe potuiſſet. Itaque non miror id quod mihi tui ſignificauerunt, tibi in ea ædificatione ter mille nummum aureo-

rum

rum ſumptum factum. Quæ cum nec parum diligenter, & magna cum voluptate eſſem contemplatus, valde mihi Leo Pont. Max. viſus eſt tuæ ſocietati atque familiæ proſpexiſſe, cum te Magiſtrum Ordinis iuſſit eſſe, qui eas penſiones atque prouentus quos tibi præfectura ſubminiſtrat, non in ambitioſas ſacerdotiorum conquiſitiones, non in tuorum propinquorum com moda, non in tuas ipſius aliquas voluptates vt plerique faciunt profudiſti, ſed in patriá & natali ſolo amantiſſime magnificentiſſimeque contuliſti. Itaque vt ad aliud redeam, quod initio dixi: non iam modo non fruſtra te quæſiui, ſed etiam valde gaudeo id me vix ſuſcepiſſe, vt illa ingenij & liberalitatis tuæ præclara munera inſpectarē. Tibi vero pro meo in te amore ac piètate etiam gratulor de tam mirifica ædificatione tua, ex qua nō dubito quin & magnam voluptatem capias capturusq; ſis quādiu vixeris: & multum claritatis atque beneuolentiæ non apud tuos ſolum ſocios, vel apud noſtros qui nunc ſunt homines, ſed apud poſteros quoque tibi pepereris: qui cū illa intuebuntur; te ament, multisq; laudibus efferant neceſſe eſt, ſi modo erunt ipſi digni qui homines appellari poſſint. Vale.

Albertus Boſteten Theutonicus, vir præclara eruditione atque doctrina ornatus, & in monumentis rerum veterum laudabiliter verſatus, ſcripſit vtriuſque Pannoniæ (quam hodie Auſtriam & Stiriam vocant) hiſtoriam, eamq. Imperatori Cæſari Maximiliano dicauit.

Gonſaluus Barahona oppidi Duennas regni Caſtellæ vir admodum religioſus, de quo inter alia memoratur, quòd cum frātres quadam nocte in choro deeſſent, ipſeq. ſolus horas, quas matutinum vocant, perſolueret, eas inchoauit abſoluitque, aſſidentibus Angelis & reſpondentibus.

Ludouicus Chantarean Gallus, vir in ſacris ſcripturis apprime eruditus, cum eſſet Epiſcopus Matiſconenſis, Abbas S. Euberti Aurelianenſis, & à ſecretis confeſſionibus Chriſtianiſſimo regi Galliæ Franciſco primo, ordinem plurimum exornat. Hic obijt Pariſij die 24. Nouemb. an. dom. 1531.

Ioannes Rouault Gallus theologus inſignis, epiſcopus Rouanen-

uanenſis in Britannia, & eccleſiæ Andegauenſis Propræſul, in pretio habetur.

Benedictus Luſitanus Vlyſponæ oriundus, vir moribus & literis illuſtris, & Vlyſponæ in philoſophia & theologia doctor regens, reliquit libros aliquot, qui vnà cum lectionibus & tractatibus Roderici ſanctæ Crucis, & Ioannis Magdalenæ, Vliſponæ in bibliotheca conuentus noſtri cuſtodiuntur.

Angelus Mediolanenſis cognomento Bellabuccus, commemorandus hic nobis eſt, cum librum his temporibus ediderit titulo Viridarium ſacræ ſcripturæ, Venetijs & alibi impreſſum.

Nicolaus Romagnanus à Cariniano Taurinenſis, liberaliter doctus, & in habendis ad plebem ſermonibus nõ minimæ apud nos opinionis, quippe qui erat in dicendo copioſus & eloquẽs, hoc ſæculo Alberti Patauini ſermones, qui in bibliothecis puluerulenti extabant, typis illuſtrare, necnon pulcherrima præfatione, doctisq. obſeruationibus decorare curauit. Obijt Romæ prior monaſterij S. Mariæ de Populo, anno 1540.

Syluester Meuccius de Caſtilione Aretino, doctor clariſſimus, atque Venetijs in habendis ad populum ſermonibus pergratus, in lucem edidit admirandam Abbatis Ioachimi expoſitionem in librum Apocalypſim beati Ioannis apoſtoli, epiſtola nuncupatoria ad Cardinalem Egidium Auguſtinianum. Deceſſit Venetijs in loco noſtro inſulari D. Chriſtophori à Pace, die 20. Martij, 1535.

Felix Pratenſis, genere Hebræus, inter ſuos Rabbinus præſtantiſſimus, & poſt ſuam conuerſionem Romæ diui Auguſtini Ordini ſeſe addicens, tantum noſtris inſtitutis profecit, vt inter omnes doctores theologos ſimilem ſuo tempore habuerit neminem. Pſalterium ex Hebraica veritate Latine tranſtulit, Venetijs primum, deinde Baſileæ excuſum. Quam verſionem poſteri vt veriorem ſuis ſæpe in lucubrationibus citant, præſertim Matthæus Aurogallus in libro de Hebraicis nominibus, & Franciſcus Titelmanus in expoſitione Pſalmorum. Tranſtulit quoque librũ Iob. Romæ prope centenarius mortuus eſt, die 5. Nouẽb. an. dom. 1559. & in tẽplo S. Auguſtini ſepultus iacet.

Bartho-

Bartholomæus de Vſingen Germanus, diuinarum litterarũ, veterumq. ſanctorum doctrinæ peritus, & celebris eccleſiaſtes, in Lutheranam hæreſim inuectus, ſcripſit:

De falſis prophetis tam in perſona quàm in doctrina vitandis à fidelibus.

De prædicatione Euangelij; quibus ſcilicet conformiter Euangelium debeat prædicari.

De cœlibatu ſacerdotum nouæ legis. Reſpondit ad ſermonem Langij de matrimonio ſacerdotali, quem fecit in nuptijs Culſameri ſacerdotis.

Quæ omnia impreſſa ſunt Erphurgdiæ, an.dom. 1525.

Conradus Tregarius Heluetius, per ſuperiorem Germaniã Præſes prouincialis, theologus inſignis, doctrinæq. catholicæ in Germania defenſor præcipuus, Paradoxa centum edidit de eccleſiæ conciliorumq. auctoritate, Reuerendo ac illuſtri Principi Fabiano de Montefalcone epiſcopo Lanſanenſi dicata, & Argentinæ impreſſa. Cum apud Bernates Heluetios anno 1527. decreta fuiſſet diſputatio Catholicorum cum Zuinglianis, nullus Catholicus doctor (vt etiam in ſuo Commentario annotat Laurentius Surius) præter hunc vnum Conradum Tregariũ prouincialem Auguſtinianum, eò profectus eſt.

Ambroſius Neapolitanus, epiſcopus Lamoſenſis, & Mantuanæ eccleſiæ Propræſul, cum viueret his temporibus, eſſetq. Græcis & Hebraicis litteris eruditus, necnon theologus & concionator egregius, philoſophiæq. & præſertim Academicæ valde doctus, mirabiliter quoque multa & varia compoſuit. Quæ ego vidi, & per titulos legi, hæc ſunt,

Annotamenta in Platonis Alcibiadem, ſiue de natura hominis, & de voto. Ad Comitem Planellæ Iacobum cognomento Probum, incipiunt: Præcellens tua virtus.

Commentaria in Parmenidem, vel de vno omnium principio, & de Idæis. Ad Federicum Gonzagam Marchionem Buzoli. Incipiunt: Si cui ab ineunte ætate.

De mundi genitura, vbi ſex dierum opera explanantur. Incipit: Geſtiens ego vermiculus.

Annotationes in tomis diſtinctæ in librum de cauſis. Ad Vrbini ducem. Incipiunt: Homerus poetarum Deus, magnanime domine.

De fato contra Petrum Pomponatium pro Alexandro Aphrodiſæo, Ad Papam Clement. VII. Incipit: Quòd meas ad te litteras antea dederimus.

Contra aſſertores mortalitatis animæ, Ad Sigiſmundum Gonzagam S. R. E. Cardinalem. Incipit: Cùm omnis opera ac ſtudium conferatur.

De vera & catholica fide conflictationes contra Lutherū, Ad Ioannem Matthæum Gibertum epiſcopum Veronenſem. Incipiunt: Si hactenus ad tuas litteras R. D.

Quòd non ſit abroganda Miſſa ſecundum ritum S. R. E. ordinata, contra Lutherum. Incipit: Quàm me iuuit facilis iſta deambulatiuncula.

Quadrageſimale, qhod vulgo Gentilis nominatur.

Sermones per Aduentum vſque ad Epiphaniam, Ad Federicum Gonzagam. Incipiunt: Qui triumphales arcus aut columnas.

Conciones ſuper Salutationem Angelicam, & Canticum Mariæ. Incipiunt: Duo mihi creditores.

De tribus Magdalenis, & de vnica Magdalena. Et alia. Quæ omnia Mantuæ cuſtodiuntur in bibliotheca Conuentus noſtri S. Agnetis, vbi etiam in bona ſenectute obijt.

Anno 1526. Conuentus habitus eſt Triuiſij 13. calen. Iunij, vbi Prioris generalis confirmationem præter alia multa conſtitutum eſt, vt monaſteria vltra flumen Tagum, ſcilicet, beatæ Mariæ de Niuibus, & beati Pauli de Montibus, Prouinciæ Caſtellæ adhibeantur, aſcribantur, ac deputentur. Vt nemo librum aliquem Martini Lutheri cuiuſcumque ſit lectionis, penes ſe retinere audeat, eiusue aut ſcripta legere, aut dogmata defendere, declarare, ſeu de eius opinionibus, concluſionibus, ſententijs diſputare, colloqui, aut quouis pacto conferre.

Anno 1527. Pariſijs in monaſterio noſtro S. Auguſtini celebratum eſt concilium prouinciale Senonenſe, præſidente Antonio

nio S.R.E.presbytero Card. archiepiſcopo Senonenſi,& Galliarum & Germaniæ Primate, ac Franciæ Cancellario.

Anno 1530. Clemens Septimus Pont.Max. cõfirmat,approbat,& innouat noſtra omnia priuilegia, etiam per modum communicationis cum alijs ordinibus Mendicantium, etiam de obſeruantia nuncupatorum, etiam Minimorum, ac Congregationum & Confraternitatum omnium,etiam Viuæ vocis oraculo, in genere vel in ſpecie conceſſa. Item, idem Pontifex, quaſcũque apoſtolicas ſuſpenſiones, reuocationes, & reſtrinctiones, ac in prouincialibus & ſynodalibus concilijs editas generales & ſpeciales conſtitutiones, & quibuſcunque ordinarijs, prælatis, & perſonis conceſſis litteras,ac priuilegia,etiã ſi in illis ſpecificã ac de verbo ad verbũ de derogatione noſtrorũ priuilegiorũ mẽtio habeatur; ſpecialiter & expreſſe derogat, & nemini in præiudicium eorundem noſtrorum priuilegiorum ſuffragari poſſe aut debere etiam decernit. Dat. Romæ, die vltima Octobris, pontif. an. 7.

Anno 1532. die 12. Nouemb. Egidius Cardinalis, tertio & ſexageſimo ætatis anno ſubita oppreſſus pituita Romæ mortem obijt, cum Clemens Rom. Pont. Carolum Cæſarem Bononiæ excepiſſet. Is Egidius, Arnoldo Ferrono Burdigalenſi referente,vir fuit præter vitæ ſanctimoniam, diuinarum rerum peritiſſimus, vetereq. Italia digniſſimus,cuius conciones ad populum grandes erant verbis, decoræ ſententijs,genere toto graues,vetus illud prudentis hominis callens, Cum regibus principibusque aut omnino non loquendum, aut quæ ſunt optima loqui oportere. De quo Paulus Iouius: Non eſt,inquit,cur te prætercam Egidi humili quidem loco, verũ maxime illuſtri fato, Viterbij nate, Chriſtiani ſcilicet oratoris in ſacra pergula primum atque vltimum decus merite. quámquam egregia illa ex arcanis Moſeos deprompta ſublimis ingenij monumenta tenebris adhuc impie ſupprimantur. Præſtantiſſimum enim præceptorẽ facile ſuperaſti, Marianum ſcilicet Genezanenſem, Pontani & Politiani admiratione, eruditoque præconio inclytum. Ceterũ Marianus Egidij comparatione ad optime generoſeq. dicendũ

nequaquam tanta ex Græcis noui & veteris inſtrumenti enarratoribus præſidia comparant, neque penetrarat ad Chaldæos, vt admiranda noſtræ legis fundamenta reuelaret, neque cõcionibus prædulce illud & nobile poeticum melos inſtillarat, vt ſuſpenſos arrectis auribus animos ſuauitate carminum ad colẽdam pietatem reuocaret. Sed Egidius cum in ſuggeſtu vere admirabilis æquo iudicio per omnes vrbes oratoriæ facultatis lauream mereretur, etiã domi lepidiſſimis ſermonibus nouam laudem ferebat. Erat enim eius ingenium exquiſito litterarum omnium delectu grauiter inſtructum ſic, vt in omnes exemplorum caſus per amplas opes alacris & expedita memoria ſuppeditaret. Facundia porrò tanta diſſimulatis illecebris audientes ſemper exhilarans atque demulcens, vt ipſo concionante vel maxima templa complerentur. Ei demum Leo Pontifex, virtutem omnem liberaliter exornare ſolitus, honorem purpurei Galeri detulit, cum Petrucciana coniuratione, & Vmbrico bello circumuentus, Senatum aut maligne aut ſegniter Principis iniuriam ferentem, ſupplere cogeretur. Hæc Iouius. Multa & varia ſcripſit Egidius. Quæ vero euolui, & ex parte legi, ſunt.

- Annotationes in tria priora capita Geneſeos.
- Commentaria in quoſdam Pſalmos, ad Pontificem Leonem Decimum dicata.
- Libellus de eccleſiæ incremento, de quo etiam meminit Pontifex Iulius in diplomate, quòd Bullæ aureæ declaratorium inſcribitur.
- Oratio, quam in principia concilij Lateranenſis habuit.
- Liber dialogorum, qui ſic incipit: En ad te princeps præſulq. humaniſſime.
- Liber epiſtolarum.
- Ode in Egidij Romani laudes.

Et alia multa in proſa & carmine, vernacula latinaq. lingua, quæ in eius obitum ſubrepta fuere. Sepultus eſt Romæ in templo D. Auguſtini, monumento marmoreo à Gabriéle Generali extructo. Ianus Vitalis Panormitanus poeta illuſtris, hoc epitaphium poſt eius mortem cecinit.

Ante

Ante ſacroſanctos cineres bona verba viator
Dicito, diuinus hic iacet Aegidius:
Qui potuit lingua humanas inflectere mentes,
Et trahere hærentes feruidus ad ſe animos.
Quidquid pandit Arabs, diuinum quidquid Erembus
Diues Arameis occulit in tabulis,
Explicuit populis: & ſi quid ſpiritus vltra
Sentit, adhuc ſanctum quod meditetur habet.

Anno 1533. Comitia habita ſunt Patauij calend. Iunij, vbi eidem Gabrieli denuo cura Ordinis prorogata eſt. Mandatum fuit omnibus noſtri Ordinis fratribus, vt aſſiduis precibus iuuarent, Deoque commendarent Imperatorem Carolum, qui in Hungaria aduerſus Solimanum Turcarum regem fratri Ferdinando auxilio erat: vt eius & vires augeat, & cœptis aſpiret.

Philibertus Hareſche, doctor theologus facultate, origine, & monaſterio Pariſienſi, linguæ ſanctæ peritus, ac multiplici litterarum cognitione prædıtus, ſcripſit ad Gabrielem Venetum Generalem expoſitionem tum dilucidam tum breuem in epiſtolā D. Pauli ad Romanos, cum diffinitionibus vocum difficiliorū, & diuerſarum acceptionum adnotatione, ex ueteri teſtamento auctoritate, ſiue ſeptuaginta Interpretum, ſiue Hebraicæ veritatis, quas interdum ſequitur Apoſtolus, ita planum faciens, vt nemo ſic qui non ex ea fructum capere poſſit vberrimum. Pariſijs extat impreſſa anno domini 1536. apud Ioannem Paruum in vico Iacobeo. Obijt Pariſijs prior cœnobij an. dom. 1545. die 21. Auguſti.

Auguſtinns Fogiadenus Cremonenſis, vir non minus vitæ merito quàm eruditione ſcripturarum venerabilis, ſcripſit inter alia doctas expoſitiones in Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolorum. Quæ extant Ferrariæ in bibliotheca monaſterij noſtri S. Andreæ, vbi vitam egit, & tandem obijt.

Auguſtinus Saturnius de Valle canonica Brixienſis, nomine celebris, ac peritus ſuo tempore Grammaticus, ad faciliorem teneræ pubis educationem, ea in arte aſſiduis laboribus pleraque

illuſtrauit. Nam cum ingentem Grammaticorum numerũ collegiſſet, aggreſſus eſt loquendi regulas ex eorum dictis conficere, tandemq. eas, vt eſſent ceteris, qui hanc artem profitentur, communes, excudendas tradidit titulo, Inſtitutionum Grammaticalium, lib. 4. Obijt Brixiæ in æde S. Barnabæ ſepultus.

Valerius Bononienſis theologus & concionator egregius, multa vt audio ſcripſit: edidit autem vnicam (quod ſciam) ſatis elegantem epiſtolam ad Laurentium Campedium S.R.E. preſbyterum Cardinalem, excuſam & appoſitam in fronte Alberti Patauini Quadrageſimalium operis aurei, quòd typographis iterum excudendum tradidit.

Hieronymus Fulginas Vmber, vir apud omnes ſuis virtutibus, ſpectataq. integritate charus atque iucundus, hoc tempore Romæ dum eſſet Ordinis diligens Procurator, & litterarum diuinarum ſcientia ac morum maieſtate & comitate ſe admirabilem omnibus præberet, religionem mirabilius magnificentiusque quàm alius aliquis auxit & honeſtauit. Is in comitijs Venetijs celebratis doctam & elegantem habuit orationem, Egidio Cardinali & Senatu aſſidentibus. Obijt Romæ an. ſalut. 1534. die 7. Maij.

Bellinus de Padua theologus & pius & doctus, cũ in lectionibus auctorum probatorum, qui de Sanctorum vita ac martyrio conſcripſerunt verſaretur, multa diligentia, opera & cura vſus eſt, vt Martyrologium quod in eccleſijs communiter legi ſolet, fideliſſime imprimeretur. Scripſit quoque libellum

De laudibus martyrum, Venetijs impreſſum.

De Bellino eremitano Bernardinus Scardeonius ita loquitur: Paulo Zabarellæ ferme par floruit Bellinus inſignis theologus, cuius non modicæ laudi fuit editio & correctio martyrologij, quòd olim cum præ ſua raritate in choris tantum & in cõuentibus publice legeretur, nunc huius opera factum, vt ab omnibus legatur: & propterea merito eius nomen, non tantum in illa prima impreſſione mille & amplius voluminum inſcriptum eſt: ſed poſtea quoque quoties huiuſmodi opus imprimitur, non niſi ſub Bellini eremitani theologi Patauini correctoris no-

mine

mine publicatur. Itaque eiuſmodi pia martyrum memoria, cũ nominis huius immortalitate à poſteris vbique celebrabitur.

Nicolaus Scutellius Tridentinus, trium linguarum Hebreæ, ſcilicet, Græcæ & Latinæ peritiſſimus, ac vir probe religioſus, qui primus Iamblicum philoſophum de myſterijs Aegyptiorũ & Pythagorica ſecta, in Latinum ſermonem traduxit, his temporibus claruit. Fuit hic à ſecretis ſub Gabriele Veneto Generali, & in ſcribendo erat copioſus & eloquens, at in dicendo ita puſilli animi vt nihil ſcire ab omnibus iudicaretur. Scripſit multa, quæ extremo die ſuæ vitæ à varijs ſubrepta fuere. Audio tamen pleraque eius volumina extare in arce Tridentina. Impreſſos vidi Sermones egregios, De paſſione Domini: & elegantiſſimam orationem funebrem, in obitu Cardinalis Tridentini. Deceſſit Tridenti die 28. Aprilis, 1542. in æde Sancti Marci ſepultus.

Marcus Bocturnius Vicentinus, homo omnium diſciplina Iuris ciuilis & pontificij eruditiſſimus, hac tempeſtate floruit. Hunc vnum ex omnibus ſui alijque vicinarum vrbium ciues, ad grauiſſimas cauſas tranſigendas deligebant, quibus ipſe inaudita ſapientia omnia facillime ac veriſſime explicans, ad æquitatem & honeſtatẽ referens, cumulatiſſime ſatisfaciebat. Inſitas quoque in ſuis ciuibus inimicitias non ſolum euellebat, ſed etiam ad perpetuam amicitiam conſuetudinemque eos traducebat. Omnium inſuper, qui ad ipſum confluebant (erant enim quotidie prope innumeri) quæſtiones diſſoluebat, lites dirimebat, controuerſias ſedabat, & tanta humanitate & affabilitate, vt nõ modo eos pro quibus ſenſiſſet, ſed etiam illos contra quos ſtatuiſſet, contentos & placatos dimitteret.

Anſelmus Vicentinus prædicti Bocturnij ex ſorore nepos, in Lutherum vehementius inuehens, iuxta ſcholæ conſuetudinẽ librum edidit cuius titulus eſt: De indulgentijs, alijsque Chriſtianis concluſionibus, aduerſus hæreſim Martinianam: Venetijs impreſſum.

Hieronymus Plumatius Veronẽſis diuini verbi eximius preco, qui populis eo maxime nomine acceptiſſimus fuit, quòd

præter

præter præcipuum ſtudium ac curam tradendæ publicæ doctrinæ Chriſtianæ, miſericordiſſimus in egenos inopesque homines erat, quos mira benignitate eleemoſynis ſuis concionibus conquiſitis ſubleuabat. Montes, vt vocant, collegia & ſodalitates multas inſtituit ſingulis fere Italiæ ciuitatibus, in quibus virgines pauperes nuptui traderentur, exilis vilisque plebecula paſceretur, & indigentes ſine fœnore mutuam pecuniam accipere poſſent. Venetijs obijt an. dom. 1534.

Stephanus in Recanate ciuitate, quæ eſt in Piceno, ab adoleſcentia ordinem ingreſſus, ac in liberalibus ſcientijs ad ſcholas ordinis educatus, Muſicæ, vt illi arti, cui præ alijs deditus, in finẽ vſque ardentius adhærebat. Vocum enim conſonantias, proportionum inductiones, & quidquid eſt quod ad eam ſpeculationem attinet perfectiſſime vir ille officioſus ac diligens nouit. Qui tandem, ſui temporis plane in Italia numerorum modulatione celeberrimus, longo labore compoſuit librum artis Muſicæ, cuius titulus: Recanetum Muſices fratris Stephani, lib. 2. Edidit quoque Cantiones lepidas ſuper Introitus Miſſarum, & Antiphonas Veſperorum, lib. 2. Atque alia plura. Eius modulationes diebus ſolemnibus multis in Italiæ templis decantantur.

Anno dom. 1533. Fratres nonnulli Hiſpani ex regno Caſtellæ, viri admodum religioſi & eruditi, ad nouas Indias, in quibus Dei benignitate myſteria ſanctiſſimæ Religionis prædicari, & lumen fidei fulgere cœperant, facta ſibi à maioribus poteſtate conſcendẽtes profecti ſunt, vbi & vitæ exẽplis & doctrina vberrimos fructus & maximos Chriſto Deo attulerunt, noſtrumq. Ordinem augentes monaſteria multa conſtruxerunt. Qui vero applicauerunt, fuere: Franciſcus à Cruce cognomento Venerabilis: Auguſtinus de Caronio, electus deinde epiſcopus de Popaian: Hieronymus Ximenez aliàs de Sanctis: Ioannes de Sancto Romano: Ioannes de Oſeguera: Alphonſus de Borgia: Georgius de Auila.

Hoc eodem anno cum in hac noua India, ſeu (vt hodie dicitur) noua Hiſpania, in Tenuxtitam Mexico, vt de ſalute Indo-

rum,

rum, nouisque quærendis ſedibus conſulerent, conueniſſent, conſtituunt inter alia multa Vicarium Prouincialem Venerabilem fratrem Frãciſcum à Cruce, & vt hæc noua Hiſpania apud Ordinem Prouincia nominis Ieſus nuncuparetur. At poſtmodũ Vicariatus Indiarum nominatus eſt.

Monaſteria ſeptem in noua Hiſpania fundantur, videlicet, de Mexico, de Ocoitocon, de Chilapan, de Totolapan, de Tlaapã, de Yacapichtlan, de Zaqualpan.

Mexico ciuitas eſt inſignis ampla & magnifica, quæ multum alijs dignitate, opulentia, diuitiarum copia, artibus, populorum frequentia præſtat: quam etiam diuerſa monachorum Cœnobia mirifice ornant & illuſtrant, inter quæ Auguſtinianum illud noſtrum facile primas tenet, domus ſane eleganti architectura, ac mira varietate conſtructa. In quam ædificandam de ærario regali bis centum millia aureorũ & amplius impenſa fuere. Huic monaſterio primores à primæuo ædificationis exordio ſemper palmam contulerunt, in quo tamquam in materno vtero nouitios alunt fœtus. Viget hic litterarum ludus, à primis (vt aiunt) rudimentis ad extremam vſque manum. Octuaginta plus minusue fratres inhabitant, quorum nonnulli Grammaticam diſcipulis tradunt, aliqui logicam, alij philoſophiam, alij theologiam docent: reliqui prædicationibus ac confeſſionibus, ceteriſque inſtituto monachico conſentaneis operam dant. Cumq; ex hoc tam præclaro cœnobio perinde ac omnium capite cetera fluxerint monaſteria, mirum eſt, quòd breui temporis ſpatio tanta religioſorum multitudo ſit aucta, atque multa ſimul accreuerint cœnobia, vt iam quinquaginta ſupra trecẽtos monachi, quinquaginta occupent domos regulari ſancti patris Auguſtini obſeruantia decoratiſſimas.

Anno 1534. Gabrieli Anconitano defuncto ſubrogatur ſacrarij pontificij cuſtos Alphonſus Aquulenſis theologus, qui à Paulo Tertio Pont. Max. creatus fuit primum epiſcopus Bouianenſis, deinde Archiepiſcopus Amalphiæ.

Anno 1536. In noua Hiſpania conuocatis patribus in Mexicanam ciuitatem, creatur Indiarum Vicarius prouincialis Hiero

nymus Ximenez ſiue de Sanctis: ſub cuius adminiſtratione conſtructa fuere monaſteria, de Atotonilco, de Molanco, & de Tacambaro.

Anno 1537. die 12. Maij, Ioannes Stoneus Anglus Cantuarienſis, religioſiſſimus vir, ac rerum diuinarum cognitione præclare inſtructus, cum Henrici Octaui Anglorum regis execrandas opiniones approbare noluiſſet religione prohibitus, poſt carceris moleſtias vnà cum pleriſque alijs innocentibus capite plexus eſt, vt pro martyre colatur. De quo Laurentius Surius in ſuis rerum in orbe geſtarum cõmentarijs ſic ait: Ioannes Stoneus Auguſtinianus Cantuariæ in Anglia tenebatur aliquandiu in carcere, ibique ad ſolita Chriſtianorũ arma confugiens, precibus & ieiunio triduano ſine intermiſſione ſe dedit. Ibi tum ad eum vox facta eſt, licet neminem videret, quæ eius appellato nomine iuſſit eum infracto animo pro ea quam profeſſus erat ſententia mortem oppetere. Multum inde ille confirmatus permanſit conſtans, nec vllis vel minis vel terroribus poterit à ſententia deduci: maluit fortiter mori pro iuſtitia, quàm Regis parere voluntati. Hactenus Surius. Alanus vero Copus Anglus in ſuis dialogis aduerſus Centuriarios, dial. 6. cap. 44. loquens de Ioanne Stoneo Auguſtiniano: Hic (inquit) Cantuariæ martyrij corona redimitus eſt. Sed priuſquam eò perueniret, cum in carcere preces ad Deum fudiſſet, & triduo ſine intermiſſione ieiunaſſet, audiuit vocem cum neminem videret, quæ eum nominatim compellauit, & admonuit, vt forti eſſet animo, atque cõſtanter mortem pro ea, quam profeſſus fuerat ſententia, ſubire ne dubitaret. Vnde ille tantum poſtea alacritatis, & roboris ſumpſit, vt nulla perſuaſione, terroreue à ſententia deduci ſe paſſus fuerit. Hæc ego à viro graui & fide digno accepi, qui etiã nunc viuit, cui Stoneus ipſe ea patefecerat.

IOANNES ANTONIVS VERONENSIS P.G.

ANNO Chriſti 1538. Comitia habita ſunt Veronæ. 5. idus Iunij, præſidente Iacobo Simoneta S.R.E. presbytero Car-

ro Cardinali: in quibus Gabriele Veneto defunćto in eius locũ Prior Generalis ſuffećtus eſt, Ioannes Antonius Veronenſis cognomẽto Aprutinus, theologus & philoſophus inſignis, qui præfuit menſibus ſeptem.

Monaſteria S. Auguſtini Numãtiæ, & Pontis Deume in Gallætia ædificari cœpta, illud Roderici de Torres viri illuſtris, hoc Ferdinandi Andradæ Comitis Villalbæ ſumptibus.

Aluarus Montero Luſitanus Vliſponenſis, cum Chriſtianæ pietati, & ſacrarum litterarum ſtudio, docendo, conſulendo, & orando totum ſeſe dediſſet, multis & inſignibus ſuæ ſanćtitatis indicijs ex hac vita deceſſit. Cuius vita extat ſermone Hiſpanico conſcripta.

Nicolaus de Tolentino Hiſpanus regni Caſtellæ, dum bellũ ageretur in Peloponneſi propugnatione Motonij & Coronæ, ipſeque Chriſti imaginem deferens animos militum inflammaret in hoſtes, à Turcis captus tandiu fuit verberibus cæſus, alijsque cruciatibus affećtus, donec animã Deo redderet. Eius corpus poſtea membratim diſcerptum eſt.

Ludouicus de Montoya regni Caſtellæ, vir moribus inſignis, & celebris cõcionator, qui multis annis in Luſitania Prioris generalis vices tenuit, ſermone Hiſpanico ſcripſit ex quatuor Euãgelijs vitam Chriſti in modum Soliloquiorum animæ ad Deũ. Obijt nuper Vlyſpone, & alia (vt accepi) opuſcula ſpiritualia reliquit.

Alphonſus à Corduba Hiſpaniæ Bæticæ, vir liberaliter doćtus, cum Pariſijs ſui ſtudij titulos reportaſſet, Salmanticam veniens, viam Nominalium introduxit, fuitque doćtor regens in Academia multis annis, vbi quoque rexit cathedram Gregorij Ariminenſis, ſuæ doćtrinæ celebritate ibidem inſtitutam. Hinc habebatur illis in regionibus omnium doćtiſſimus. Scripſit traćtatus quoſdam in Logicam, & commentarios edidit in libris Ariſtotelis Ethicorum, Oeconomicorum, & Politicorum. Deceſſit tandem in ciuitate Abulenſi an. dom. 1542.

Michael Magniches, Hiſpanus, Valentinus, eccleſiæ Vſellenſis in Sardinia Inſula epiſcopus, vir in ſæculari philoſophia, di-

uinis ſcripturis, & iure pontificio eximie doctus, qui hæc omnia multis annis Valentiæ primum, deinde Ilerdæ profeſſus eſt, cũ magna ſui nominis celebritate viuit, licet admodum ſenex, & multa commentatur edenda poſt mortem. Quem ferunt memoria tantum valere, vt quæ ſemel legit, continuo memoriter recitet. Et (vt accepi ab ijs qui experiri voluerunt) totam Bibliam, & Ius Canonicum memoria complectitur.

Iacobus Martinez Gallus, vir ingenio præſtanti, & in theologia, alijsque doctrinarum ſtudijs laudabiliter verſatus, libros aliquot in Lutheranos conſcripſit, ſub Franciſco pientiſſimo, & Chriſtianiſſimo Galliarum rege, cui longe fuit ad finem vſque vitæ ſuæ chariſſimus.

Ioannes Beonardus Gallus Andegauus, doctor Pariſienſis, & in tota Gallia Prioris generalis vices gerens, ſcripſit ſuas ad populum conciones, in quibus multa aduerſus Martinianas hæreſes ſcite & eleganter pertractat. Moritur Pariſij, die 2. Nouemb. 1543.

Ioannes Hofmeiſterus Sueuus Colmarienſis, in Sueuia Prouincialis præſes, deinde in vtraque Germania Prioris generalis vices tenens, ſingulari pietate & vitæ ſanctimonia, eloquentia inſuper & catholicæ veritatis propugnatione clarus, Lutheranis infenſus, tamquam vere antiLutherus, Carolo Cæſari, ac Ferdinando regi acceptiſſimus, omnibusque catholicis totius Germaniæ, Scripſit,

Expoſitiones in Euangelium ſecundum Marcum & ſecũdum Lucam. Non ſumus ſicut plurimi adulterantes verbum Dei.

In Matthæum ſe paraſſe commentaria, ipſe in cap. xi. ſuper Marcum enarrat.

In duodecim priora capita Actuum Apoſtolorum. Corruptæ humanæ naturæ eſt.

In Tobiam breues & exultas exegeſes.

Commentaria in epiſtolas Pauli ad Corinthios, ad Alexãdrum Farneſium S.R.E. Cardinalem.

Aduerſus Confeſſionem Auguſtanam.

Locos communes doctorum.

Verbum Dei carnem factum eccleſiæ ſuæ vnicum propitiatorium ac perpetuum eſſe ſacrificium, aſſertionem.

Precum & cæremoniarum, quarum vſus in quotidiano ſacro, expoſitionem.

De fraudibus hæreticorum.

De ſanctis Sermones.

Homilias in Euangelia Dominicalia, & quarumdam feriarum Quadrageſimæ.

Dialogorum, lib. 2.

Quibus aliquot Eccleſiæ catholicæ dogmata Lutheranorum & verbis & ſententijs roborantur. Hæc omnia excuſa ſunt Ingolſtadij, & alijs in locis. Ei ſæpiſſime inſidias parauerunt hæretici, vt tolleretur de medio, ſed tandem (licet ab eiſdem multa incommoda perpeſſus ſit) naturali morte deceſſit.

Peregrinus Naſellus Patauinus theologus inſignis, vigintiſex aſſertiones. & dubia quædam obſcura & implexa ſacræ ſcripturæ, apertiſſime explicuit, & reſpondit aduerſus quadraginta & vnum impios Lutheri articulos. Scripſit item de fide implicita & explicita, & de informi & formata, & de eius origine cauſaque efficiente, & quomodo fideles exaltat, & reddit eos ſapientes, ac iuuat & roborat. Inſuper de operibus exterioribus, breuiter octo cõcluſionibus præclara quædam complexus eſt, in quibus hæreticorum nodos, apud eos obſcuros & inſolubiles, ſoluit & in lucem promit.

De legibus humanis, quantum & quomodo obligent.

De poteſtate ſummi Pontificis, & Concilij, cum comparatione ad inuicem.

Quæ omnia egomet mihi & legi, & propterea hic in noſtris hiſce lucubrationibus nõ cenſui omnino tacenda. Obijt Naſellus Patauij nonagenario maior an. dom. 1556.

Sanctes de Monteregali Prouinciæ Vmbriæ theologus, & in omni diſciplina, præſertim philoſophia Peripatetica quam in gymnaſio Peruſino multis annis edocuit, inter multos prope ſingularis, cuius quamquam nulla extent ſcripta, tamen cum

In eo philoſophiæ genere longe plurimum ingenio valuiſſe videatur, ne obliuione eorum qui ſunt, & reticentia poſterum inſepultus iaceat, hic à nobis commemorandus eſt.

HIERONYMVS SERIPANDVS P. G.

ANNO Chriſti 1539. Comitia habita ſunt Neapoli Octauo calendas Iunij, in quibus Prior generalis electus eſt Hieronymus Seripandus, theologus eximius, & virtutibus omnibus politiſſimus. In templo S. Auguſtini, vbi aderant ad rem diuinam pluſquam mille & centum ordinis patres qui ad comitia venerant, Imperatrici Auguſtæ Iſabellæ Lu ſitanæ uxori Caroli Quinti Auguſti parentatum eſt, quæ nuper è vita exceſſerat, laudataque fuit publice perpetua & eleganti oratione à Theophilo Neapolitano theologo inſigni, Prorege Petro Toleto & proceribus totius regni præſentibus. Conſtitutum vt poſtea generales Synodi de quadriennio in quadriennium haberentur, antea Priorum generalium arbitratu cogebantur, antiquum inſtituto de triennio in triennium exoleto.

Eodem anno in Tenuxtitan Mexico nouæ Hiſpanæ habita congregatione deſignatur Indiarũ Vicarius prouincialis Georgius de Auila. Sub cuius cura fundata fuere monaſteria, de Oquillan, de Malinalco, de Aculman, vbi nobiliſſimum templũ cum monaſterio omni iam ex parte conſtructum, floridis pratis, aquiſque fluentibus vndique ſeptum & incluſum: de Epatzoyohcan, oppidum ſalubre & gratum, propter irriguam aquæ copiam, quam eleganti induſtria, miraq; ſolertia ex intimis terræ cauernis per inacceſſa montium abrupta eidem populo, cũ antea eſſet ſterilis, adduxit Antonius de Aguilar, vir incredibili multarum rerum cognitione inſignis.

Hoc eodem tempore, Hieronymus Ximenez, Alphonſus de Aluarado, Sebaſtianus de Traſſiera, & Nicolaus de Perea, viri ad conſilia prudenter vnà cum Prorege nouæ Hiſpaniæ, Antonio de Mendoza, ad inquirendas nouas alias regiones claſſem conſcendentes, applicuerunt ad Malucas, hincq. longa peregri-

natione

natione in Luſitaniam profecti, circumeuntes, eodem vnde ſol-uerant, nono poſt anno redierunt.

Monaſterium & ſtudioſorum fratrum collegium S. Mariæ de Gratia in ciuitate Coimbra, à Ioanne Tertio Luſitaniæ rege conſtruitur, locupletatur, ornatur.

Monaſterium de Toro regni Caſtellæ, habita parochia S. Pelagij, fundatur & erigitur.

Anno 1542. Paulus Tertius Pont. Max. præcipit & vult, vt obeunte Priore generali Ordinis, Prouinciales, Priores, Vicarij, Commiſſarij, Viſitatores & Procurator generalis, & Prælati officiales Ordinis, in ſuis officijs, curis, & adminiſtrationibus perſeuerent, donec per ſucceſſorem Priorem generalem, aut Capitulum generale reuocantur.

Eodem anno congregatis patribus nouæ Hiſpaniæ in ciuitate Mexicana, conſtituunt Vicarium Indiarum Ioannem de Sancto Romano: cuius ſtudio & diligentia fundantur monaſteria de Quahchinanco, & de Meztitlan. Is Ioannes ad Hiſpaniam incolarum cauſa nauigio venit, inde Germaniam ad Carolum Quintum Imperatorem, à quo impetrauit, vt Mexici ex ærario regio ad honorem Dei, & S. Patris Auguſtini, ædificaretur monaſterium modo & forma, quibus Salmanticæ D. Hieronymi cœnobium conſtructum eſt.

Anno 1543. Comitia habita ſunt Romæ, tertio idus Maij, in quibus eidem Hieronymo Seripando in aliud quadrienniũ magiſtratus prorogatus eſt. In hoc Conuentu actum fuit de reuiſendis & examinandis antiquis conſtitutionibus, quæ non videbantur his noſtris temporibus in omnibus conuenire: & ad hoc munus obeundum quinque viri graues & prudentes deputati fuere, nempe: Fabianus Ianuenſis, Franciſcus Gambaſienſis, Sylueſter Vicentinus, in Italia, Petrus Guerente in Gallijs theologi, & Thomas Villanouanus in Hiſpanijs: vt cum eas vidiſſent, & in compendium reduxiſſent, ferrent ad Comitia proxime habenda, vt diiudicaretur quid agendum.

Anno 1544. Alphonſo Aquulenſi ſacrarij Pontificij cuſtode ad meliorem vitam vocato, in eius locum ſuffectus eſt Ioannes

nes Iacobus Barba Neapolitanus, in Romana Curia Ordinis procurator, qui creatus fuit primum epiſcopus Terami in Aprutio, deinde Interamne in Vmbria.

Anno 1545. In ciuitate Mexicana nouæ Hiſpaniæ congregatis patribus. eligunt Vicarium Indiarum, Ioannem de Staccio. Sub cuius adminiſtratione fundãtur monaſteria, de Guaxutlan, de Tepecnaquilio, & de Cuetlaxcoapan, loco ab Hiſpanis inhabitato, quem uocant de la Puebla, hodie ciuitas Angelorũ nominatur, vbi reſidet epiſcopus, & monaſteriũ noſtrum eſt omni iam ex parte elegantiſſime conſtructũ, in quo triginta & amplius fratres vitam religioſam degunt.

Anno 1546. Monaſterium oppidi Viſeriæ, ſeu vt hodie dicitur de Madrid, in Hiſpania, cœptum eſt ædificari. Cui fabricæ cum Philippus rex, tunc Hiſpaniarum princeps, fauiſſet maxime, largasq. donationes feciſſet, templum poſtea D. Philippo Apoſtolo erectum atque conſecratum fuit.

Anno 1547. Conuentus habitus eſt Rechaneti in Piceno, quarto calen. Iunij, magno illius populi gaudio & beneuolentia, in quo eidem Hieronymo Seripando denuo in aliud quadriennium cura Ordinis continuata eſt. Prior generalis peractis comitijs Romam primum, Paulum Tertium Pont. Max. reuerenter (vt moris eſt) ſalutaturus venit, mox inde Bononiam ad œcumenicum & generale Concilium, eodem è ciuitate Tridentina translatum, ſeſe contulit.

Anno 1548. Vicarius prouincialis Indiarum eligitur Alphõſus à Veracruce, habita congregatione in Tenuxtitan Mexico nouæ Hiſpaniæ. Sub cuius magiſtratu nouem fuerunt erecta monaſteria, videlicet, Atocpan, Izmiquilpan, Xalitlan, Torotepec, Guaiangareo, Iurirapundaro, Cuiſeo, Guangao, & Chiahutlan. In oppido Iurirapundaro fama eſt cœnobium noſtrum quòd titulo S. Pauli erectum eſt, inſigni operis fabrica, elegantisq. architecturæ varietate, ceteris antecellere.

Anno 1550. Andreas Salazar, Ioannes à ſancto Petro, Andreas Ortega, Hieronymus Melendez, & Balthaſar Melgarcio, viri admodum religioſi & ſacrarum litterarum ſtudijs eruditi,

facta

ſacta a maioribus poteſtate conſcendentes, tandem ad Indias, quæ PERV prouincia nominatur, applicuerunt, eiſque in locis & regionibus primi myſteria ſanctiſſimæ Religionis prædicarunt, & monaſteria aliquot conſtituerunt.

Nicolaus de Agreda Hiſpanus, vir ſumma religione præditus, in Nouas Indias aduectus, ibi maxima Indorum vtilitate annis quinque Chriſtianum cultum prædicauit & docuit, poſtea reuerſus in Hiſpaniam Pampilonenſis coenobij moderator & prior ſanctiſſime obijt. Cuius corpori catenula incincta reperta eſt, quam multis annis creditur non ſine dolore (quod cicatrices carnibus infixæ monſtrabat) occulte portaſſe.

Ioannes Munnatones Hiſpanus, epiſcopus Segobrigenſis, multa eruditione, ingenuiſque moribus exornatus, claruit in concilio Tridentino, fuitque magiſter & præceptor Caroli Hiſpaniarum principis Philippi Secundi filij.

Guilelmus Alatzhen Germanus Colonienſis, vir doctus, ſapiens, & eloquens, in prouinciali concilio Coloniæ per Adulphum archiepiſcopum celebrato, plurimum valuit ingenio, prudentia, & eruditione. Nuper deceſſit, & aliquot (vt audio) reliquit libros & tractatus.

Petrus Aurelius Venetus ex nobili & præclara Sanutorum familia natus, vir præſtanti ingenio, & in philoſophia & literis ſacris multum verſatus, compoſuit & edidit librum admodum vtilem & doctũ aduerſus prauã Lutheranorum hæreſim, cui nomen eſt, SOLI DEO, Venetijs, Pariſijs, & alibi impreſſum.

Auguſtinus Muſæus Triuiſianus, diſciplinis tum diuinis tum humanis ornatus, & concionator egregius, edidit tractatum. De diſtinctionibus iuxta intentionem Egidij Romani doctoris fundatiſſimi, Gabrieli Veneto Generali dicatũ. Scripſit præterea elegantiſſimam Apologiam in ſui defenſione, nam falſo ſibi obiecta nonnulla de doctrina eius fuerant.

Gregorius Patauinus ita cum ſacræ theologiæ ſtudijs ſcientiarum omnium ſupellectilem & eloquentiæ ornamenta coniunxit, vt Romæ, vbi multiiuges coram ſanctiſs. Senatu habuit

orationes,ingentem ſibi ſapientiæ & eloquentiæ gloriam adeptus ſit. Is licet excellentis ingenij vir, multarumque ſcientiarũ copia præditus, vt per omnium noſtræ familiæ dignitatum gradus ad Ordinis vſque in Romana curia procurationem, ſummũ pene in religione magiſtratum, aſcenderit, quibusdam tamen ſui genij miſeris conditionibus cum in eo munere vix quadriẽnio permanſiſſet, ex authoritate P. G. Chriſtophori Patauini in Comitijs Arimini congregatis magiſtratus ei abrogatus eſt. Clarus fuit in Concilio Tridentino ſub Pont. Max. Paulo III. Romæ in Academia quam ſapientiam vocant, diuinas literas edocuit. Scripſit orationes aliquot, Romæ & alibi habitas. Deceſſit Romæ die 27. Auguſti 1555. in templo S. Auguſtini ſepultus.

Ambroſius Quiſtellius Patauinus, Ordinis Procurator, & in Italia abſente Hieronymo Seripando Vicarius generalis, diuina humanaque ſapientia prudentiſſimus, & in ſuggeſtis concionator eximius, religionem Auguſtinianam ſuis præſtantiſſimis virtutibus quam plurimum exornat. Is in epiſcopatu Patauino legit magna auditorum frequentià primum D. Pauli epiſtolas, deinde Euangelium ſecundum Ioannem, tanta quidem ſuauitate ſermonis, tanta facundia, vt nemo audentium non vehemẽter obſtupeſceret: & ad publicum Gymnaſium aſcitus, ibi tot honores aſſecutus eſt, quot quisque deſiderare poſſet. Romæ demum, dum manſiſſet apud Nicolaum Rodulphum Florentinum Cardinalem ampliſſimum præceptor & doctor, podagræ doloribus immenſis excruciatus, obijt an. 1549. die 9. Iulij. Edidit opus aduerſus Philoſophos, eos ſcilicet, qui aſſerunt diuinam ſcripturam nequaquã poſſe percipi, niſi ab his qui bonæ vitæ partem in Ariſtotelis & aliorum philoſophorum lectione contriuerint: quod Franciſco Piſano Cardinali & epiſcopo Patauino dicauit. Inſuper ſcripſit libellum de modo prædicandi Euangelium. Item tractatum de controuerſia inter doctores eccleſiaſticos de vnica ſiue tribus Marijs. Compoſuit quoque Quatuor libros Commentariorum ſuper Magiſtrum Sententiarum. Item Lectiones in omnes D. Pauli epiſtolas: & Sermo-

nes varios. Edidit præterea in libros Ariſtotelis de Generat. & Corrupt. docta quædam Commentaria. Quæ omnia Romæ aſſeruantur in archiuo ordinis. Is Ambroſius, vnus ſemper apud Pont. Max. Paulum III. idoneus viſus eſt ad placandam Germaniam ab eccleſia catholica diſſidentem, & eò tandem profectus eſſet, niſi domeſtica podagrarum acerbitate laboraſſet.

Ioannes Auguſtinus, Baſſianinus, celebri Vicentiæ oppido vbi natus eſt, cognominatus, adoleſcens philoſophiæ præſertim Platonicæ operam nauauit. Qui deinceps cum iam ſe corroboraſſet, ac vir inter viros eſſet, in ſtudijs quoque diuinarum rerum ſe adeo exercuit, vt ab omnibus præſtantiſſimus & philoſophus & theologus facile iudicaretur. Et propterea locis omnibus, Romæ maxime, vbi apud Paulum Tertium præcipue florebat, literis, probitate, integritate, Ordinem plurimum decorauit & auxit. Scripſit ex antiquis patribus in D. Pauli epiſtolas ad Timotheum eximios commentarios, Hieronymo Seripando ordinis Generali dicatos. Obijt Bergomi prope ſeptuagenarius, die 10. Ianuarij, an. 1557. in æde S. Auguſtini ſepultus.

Theodorus Quallia Mantuanus, vir ſane religioſus, & in componendis moribus, regendisque monaſterijs prudentiæ non vulgaris, cuius rei cauſa ampliſſimis dignitatibus in Ordine & honoribus condecoratus fuit, qui licet ad præſens nihil ediderit, tamen cum in ipſo ordine res multas memoria dignas effecerit, dignus quoque eſt vt hic commemoretur.

CHRISTOPHORVS PATAVINVS.

ANNO Chriſti MDLI. Comitia habita ſunt Bononiæ ſextodecimo kal. Iunij, vbi cum Hieronymus Seripandus Prior generalis intereſſe noluiſſet, literisque ac internuntijs ſe officio abdicaſſet penitus, electus eſt tandem Prior generalis, Chriſtophorus Patauinus theologus, vir integerrimus & ſumme probus, qui aliquandiu Ordinis Procurator fuerat. Præfuit autem annis decem & octo. Sermo reſtitutionis magiſtratus, quem Seripandi nomine in ip-

ſis Comitijs Aurelius à Rocha theologus memoriter referendò recitauit, is eſt. Reuerendi patres in Chriſto dilecti: Multa ſunt, quæ me hortantur & monent, vt quod præſens per meipſum facere non potui, id abſens per literas efficiam, magiſtratu ſcilicet ampliſſimo, in quo ter me collocaſtis, ſumma alacritate & egregia cum voluntate me abdicare. Primum quidem, quòd dum hoc facio legibus obtempero, quibus neglectis, nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec humanum genus vniuerſum, nec rerum natura, nec mundus ipſe conſtaret. Deinde, quod patrum, maiorumque meorum morem probatiſſimum ſequor, quibus nihil fuit antiquius, quàm conſilijs nulla ambitione, nulla honorum cupiditate labi. Poſtremo, quod tantũ abeſt, vt pares tam magno negotio vires habere me amplius exiſtimem, vt præclare mecum agi putem, ſi delictorum meorum, quæ multa & magna commiſiſſe ingenue fateor, veniam impetrauero. Ea vero ſunt, quod reipublicæ veſtræ dignitatem & decus non ſuſtinui, nec (vt Apoſtolus monuit) miniſter Chriſti & diſpenſator myſteriorum Dei, cum multa præter Dei voluntatem vel fecerim vel etiam imperauerim. Non vigilaui, quo facile fuit inimico homini me dormiente ſeminare zizaniã. Non in omnibus laboraui ſicut bonus miles Chriſti, alios arguens peccantes, obſecrans alios ne peccarent, reſiſtentes vero in omni patientia & doctrina increpans. Sed cum maioris operis ſit ea recenſere, quæ de me ipſo mihi dicenda eſſent, hoc eſt, de meis multis magniſque erratis, à Deo primum coram vobis verba mea audientibus, deinde à Deo coram vobis cordis mei arcana introſpiciente, veniam peto atque miſericordiã. Denique magiſtratus vobis inſignia vnà cum magiſtratu ipſo reddo, reſtituoque, quem mihi prorogari nulla patiar ratione. Vos ergo per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obſecro, vt ſalutis me meæ habere rationem patiamini, quando & ego impar iam factus ſum tot negotijs ſuſtinendis, tantiſque rebus perficiendis: & vobis defuturus vir non ſit, & ea mentis animique præſtantia, quem Sauli primo Hebræorum regi diuinitus contigit. Sic eſt in ſacris literis explicatum: Stetit Saul in medio

populi,

populi, & altior fuit vniuerſo populo ab humero & ſurſum. In quo deligendo, Deum precor, vt è cælo ad vos mittat illarũ ſedium ſuarum aſſiſtricem ſapientiam, quæ vobiſcum ſit,& vobiſcum laboret. Valete, Pauſilypi, in conuentu S. Mariæ de Conſolatione, die 8. Aprilis 1551.

Eodem anno in oppido Atotonilco. Nouæ Hiſpaniæ eligitur Vicarius Indiarum Hieronymus Ximenez admodum,ſenex; quo tempore monaſteria de Pauatlan & Iacona erecta fuere, & in gymnaſio Mexicano, quod iam artium ſtudijs florebat, primus e theologis ad legendum conſtituitur Alphonſus à Veracruce, vir ſane probiſſimus & doctiſſimus.

Eodem anno Fratres primarij Indiarum de Peru in Limnam Regum ciuitatem conuenientes, Vicarium prouincialem conſtituũt Ioannem è Staccio, quem antea cum ſe in Noua Hiſpania contuliſſet, vnum præ alijs multis elegerat Antonius de Mendoza eiuſdem nouæ Hiſpaniæ Prorex, vt ſibi ab auriculari confeſſione eſſet,& à conſilijs.

In India nouæ Hiſpaniæ multi venerabiles patres doctrinis & vitæ ſanctimonia clari: præcipui autem, Nicolaus de Perea, qui antea perluſtrauerat Luſitanias Indiæ inſulas, ibique famẽ, ſitim, exilium, aliaque incommoda multa patientiſſime tulerat, vt hominum illorum corda ad Chriſti fidem conuerteret. Andreas de Mata, Ioannes Perez, & Ioannes de Medina, viri tam in Mexicana quàm in Othomitida lingua valde experti, adeoque ſunt apud Othomitas,Gentem ſane ſylueſtrẽ, gratioſi, vt ſumma eos proſequantur dilectione. Michael de Aluarado, & Didacus de Salamanca, qui cum Mechoacanenſium linguá mire calerent, multis regionem illam monaſterijs amplificarunt. Ioannes de Moia aliàs Baptiſta, de quo fama eſt multa edidiſſe miracula. Ioannes à Sancto Romano, qui ab India in Hiſpaniam ter annauigauit, multoſque doctos & optimos fratres ad fidem propagandam, augendumque ordinem in noua Hiſpania deportauit.

Franciſcus à Cruce Luſitanus in Inſula de Capite viridi electus epiſcopus, licet ſenex, aſſidue tamen operam dat, vt inter illas

illas barbaras nationes Chriſti fides, & Euangeliũ diffametur.

Caſpar Cano Luſitanus, inſulæ S. Thomæ epiſcopus, in diuinis ſcripturis, & præſertim in declamandis homilijs ad populum abſolutiſſimus, hac tempeſtate floret, viuitque vſque ad præſentem diem.

Ferdinandus de Caſtro Verde Hiſpanus, epiſcopus Genenſis in Bætica, his eſt temporibus celebris, fuitque Imp. Carolo Quinto concionator valde acceptus, cuius muneris functione ac religioſis moribus, eum Imperator amabat plurimum ac venerabatur.

Ioannes de Gueuara Burgenſis Hiſpanus, multiplici ſcientiarum cognitione, honeſtiſſimisque moribus exornatus, & plus ſatis quàm dici poſſit eruditus, primam theologiæ in inſigni Salmanticenſi vniuerſitate cathedram, quam dicunt Proprietatis, obtinet. De quo traditur tantæ eſſe memoriæ, vt quod ſemel legerit, memoriter pronunciet.

Thomas à Villa noua Archiepiſcopus Valentinus in Hiſpania citeriore, vir doctus, & maximus diſciplinæ regularis amator & cuſtos, diuinique verbi concionator ardentiſſimus. Hic cum dignitatem paſtoralis curæ ſuſcepiſſet, nihil prioris ſanctæ inſtitutionis omiſit, ſed orationibus, lectionibus ſcripturarum, meditationibusque ſanctis & internorum contemplationi, niſi aliorum commodis vtilitatique ſeruiret, operam iugiter dabat. Ad pauperes & indigentes multum erat miſericors, quos vt potuiſſet pro Dei amore aliquantulum exurientes reficere, ieiunus ſæpius remanens, ſibi competentia cibaria impertiuit egenis: vbicunque enim offendiſſet pauperem, mox ſine dilatione quantum potuit illius inopiæ tam in amictu quàm in victu ſubueniebat. In omnibus erat pacificus, mitis, quietus; grauis inceſſu, dulcis eloquio, & iucunda morum maieſtate ornatus. Adeo vero coram Deo ſe humiliare didicerat, vt etiam in exteriori conuerſatione nitor quidam gratiæ ſpiritalis relucens, internam cordis humilitatem palam cunctis oſtenderet. In habitu ſuo nihil differebat ab alijs ſui Ordinis fratribus. Cum denique multis annis pie ſancteque vixiſſet, Deo vocante infirmari cœ-

pit,

pit, ſanctoque fine quieuit anno à Natiuitate domini 1555. Sepelitur Valentiæ in templo noſtro S. Mariæ de Succurſu: in cuius funere pluſquam octo millia & quingenti collacrymantes pauperes interuenere. Reliquit multos varioſque ſermones grauiſſimis verbis ſententijsque refertos, qui ſumma inquirũtur diligentia ab ijs qui in ſuggeſtũ aſcendere profitentur. Collegia duo inſtituit atque fundauit, vnum Compluti pro fratribus ordinis, alterum Valentiæ pro clericis.

Anno 1553. Limnæ in Indijs de Peru habita congregatione, eligitur Vicarius prouincialis Andrêas de Salazar.

Anno 1554. Mexici nouæ Hiſpaniæ congregatis patribus, conſtituunt Vicarium prouincialem Iacobum de Vertauillo: ſub cuius cura erecta fuere monaſteria de Vcareo, de Tlaiacapan, & de Tototepec.

Eodem anno Hieronymus Seripandus Neapolitanus, dum apud Carolum Quintum Imperatorem legatione ſuæ ciuitatis nomine fungeretur, ab eodem Archiepiſcopus Salernitanus deſignatus, Romæ poſtea à Iulio Tertio Pont. Max. confirmatur, & conſecratur.

Anno domini 1555. Comitia ordinis habita ſunt Arimini, calen. Iunij, in quibus eidẽ Chriſtophoro magiſtratus in aliud quadriennium prorogatus eſt.

Anno 1556. Limnæ Indiarum de Peru habita congregatione conſtituitur Prouincialis Vicarius Ioannes à Sancto Petro, ſub cuius officio erectum eſt monaſterium Truſilli.

Eodem anno in Hiſpania in regno Caſtellæ conſtruitur monaſterium Segobienſe opera & diligentia Fratris Alphonſi de Madrid.

Anno 1557. habita congregatione in monaſterio de Ocoitocon Indiæ nouæ Hiſpaniæ, electus fuit in prouincialem Vicarium Alphonſus à Veracruce, quo tempore fuere ædificata monaſteria de Capulhuacan, & de Metlatepec.

Anno domini 1559. Comitia ordinis habita ſunt in præclara Venetiarum vrbe, die 13. Maij, in quibus idem Chriſtophorus Patauinus Prior generalis alio quadriennio cõfirmatus eſt.

In his

In his comitijs inter alia multa decretum vel potius renouatum fuit,vt Nullus ad gradum lectoratus aut baccalaureatus promo ueri poſſit, niſi ſuos perficiant actus, & à magiſtro regente necnon priore conuentus & graduatis ſtudij fides plena de eius doctrina & moribus fiat. Lectores & baccalaurei niſi aſſidue legant, quotidianiſque diſputationibus interſint, & argumententur, pro talibus non habeantur. Nemo recipiatur ad literarũ ſtudia, niſi eo in gymnaſio duas vel tres lectiones ex Cicerone ſcite prælegerit. Nouitij cum octauum & decimum annum compleuerint, profeſſionis votum coram teſtibus & notario ſpondeant, affirmentque ſe non vi nec metu; ſed ſponte libereque illud ſpopondiſſe, quæ particula à notario diſtincte notetur.

Anno 1568. In oppido Aculman Indiæ nouæ Hiſpanniæ habita congregatione, conſtituitur prouincialis Vicarius Auguſtinus de Caronio, vnus ex primoribus, qui ſe ad illas regiones contulerunt. Qui poſtea anno 1562. electus fuit in Indijs de Peru primus epiſcopus de Popaian, vbi tanquam vir apoſtolicus in illius populi erroribus propulſandis, & diſciplina religionis catholicæ introducenda, multum elaborauit, tandemque ſua paſtorali vigilantia effecit, vt tota fere prouincia verũ religionis cultum agnoſceret.

Eodem anno Limnæ in Indijs de Peru habita congregatione creatur prouincialis Vicarius Andreas de Ortega: quo tempore conſtructa fuere monaſteria in Cuzco,in Paria,& in Tapari.

Eodem anno, Pius Quartus Pont. Max. Hieronymum Seripandum archiepiſcopum Salernitanum, cui mandarat vt Romæ eſſet, creat S. R. E. presbyterum Cardinalem, eumque mox in ſacro ſancta Tridentina ſynodo ſedis Apoſtolicæ legatum miſit.

Hieronymus Niger, à Foſſano oppido, Foſſaninus cognominatus, vir bonarum literarum ſtudioſiſſimus ac illis valde doctus, edidit librum quatuor partibus diſtinctum, De admirando myſterio & Chriſto adorando in Euchariſtia, Hieronymo Seripando tunc ordinis Generali dicatum. Cuius initium

eſt:

eſt: In tantis ac tam atrocibus perturbationibus. Scripſit quoque contra Valdenſes, & alia multa adhuc viuens molitur.

Ioannes Fräciſcus Libertas Triuiſianus, theologus, his temporibus cum per ſacrum Quadrageſimæ tempus Romæ in templo S. Laurentij in Damaſo prædicaſſet, ſic commouit populum, vt nemo multis antea annis maiori aut concurſu aut ſtudio auditus ſit: vbi etiam Montem quem vocant Pietatis primus inſtituit, vnde indigentes ſine fœnore mutuam pecuniam poſſent accipere. Qui præterea tantæ authoritatis apud Hieronymum Seripandum & Chriſtophorum Patauinum Priores generales extitit, vt eidē ſæpius negotia ordinis, Prouinciæ præſertim Venetæ, commiſerint, cuius etiam diu non tantū Prouincialis, ſed & Vicarius generalis fuit.

Fabianus Clauarius Genuenſis, Ordinis Procurator, vir admodum religioſus, & in theologicis & ſecularibus litteris non infime doctus, ſcripſit ſermone ſcholaſtico librū De Cambijs, vtilē & neceſſariū ijs qui recte numerariā, ſiue cāpſoriā artem cupiūt exercere. Deinde Procuratoris officio vltro ſe abdicās, Genuam redijt, vbi S. Matthæi abbas electus, vitā tranquilliorem egit, tandemq. poſt annum ætatis ſuæ octuageſimum die 2. Aprilis 1569. obijt, & in tēplo ſuæ Abbatiæ ſepultus iacet.

Carolus Ardier Gallus, cum eſſet in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & declamandi gloria inſignis, eligitur epiſcopus Niuernenſis, Abbas noſtræ Dominæ de Liuriaco, & Eccleſiaſtes Chriſtianiſſimi regis Galliæ Henrici Secundi.

Iacobus Vueldius Flandrus, concionator egregius, & in diuinis ſcripturis, ceteriſque bonarum artium diſciplinis eruditus, edidit Paraphraſticam enarrationem Euangeliorum Quadrageſimæ ad D. Guilbertum Donguyes Tornacenſium præſulem. Viuit Pariſijs ſacris litteris intentus, ac varia moliens.

Laurentius à Villauicentio Xerezanus, Hiſpanus, vir nobilis, & tam in libris canonicis & doctrinis patrū, quàm in alijs litteris & diſciplinis eruditiſſimus, necnon in ſuggeſtu celeberrimus & gratiſſimus cōcionator, ſcripſit, ac poſteritati tradidit, De recte formando theologiæ ſtudio, ſeu De ratione ſtudij

theologici, lib. 4. De formandis ſacris concionibus, ſeu De interpretatione ſcripturarum populari, lib. 3. Antuerpiæ impreſſi. Tabulas compendioſas in Euangelia & epiſtolas, quæ per totam Quadrageſimam populo proponi ſolent, concionatoribus omnibus ſummopere vtiles & neceſſarias, ad Iacobum del Rio Brugenſem abbatem monaſterij Boulodiani. Conciones in Euangelia & epiſtolas, quæ Dominicis, Feſtiſque diebus in eccleſia proponuntur, ad F. Bernardum à Freſneda epiſcopum Conchenſem. Excudit prætera libros tres De Oeconomia ſacra circa pauperum curam, à Chriſto inſtituta, Apoſtolis tradita, & in vniuerſa eccleſia inde ad noſtra vſque tempora perpetua religione obſeruata, cum quarundam propoſitionum, quæ huic ſacræ Oeconomiæ aduerſantur, confutatione. Et alia multa adhuc viuens molitur.

Alphonſus ab Orozco Hiſpanus, vir ſane doctus, & in varijs cognitionibus verſatus, iam antea Caroli Quinti Cæſaris, poſt vero eius filij Philippi Hiſpaniarum regis concionator effectus; ſcripſit librū orthodoxis omnibus perutilem, & maxime Monachis, qui Bonum Certamen appellatur, Salmanticæ impreſſum. Edidit præterea ſermone patrio quandam noſtri Ordinis hiſtoriam, in qua recenſentur multa de beato Auguſtino, de Monycha eius matre, de S. Nicolao, deque alijs pluribus, qui non ſolum hanc Auguſtinianam rempublicam, verum etiam vniuerſum Chriſtianum nomen multum admodum decorantur. Viuit adhuc homo ætate confectus, nobis ſpem afferens ſe aliquando libros alios editurum.

Gaſpar Caſalius Luſitanus, epiſcopus Leirienſis (nunc vero ad eccleſiā Coimbricen. tranſlatus eſt) olim ſereniſſimi ac chriſtianiſſimi Ioannis Tertij Luſitaniæ & Algarbiorum regis conſiliarius, eidemque à ſecretis confeſſionibus, & regij ſenatus de conſcientia (vt vocant) præfectus, vir præter optimorum morum integritatem, ingenij præſtantia, diuinarum atque humanarum rerum cognitione egregie excultus, edidit De cœna & calice Domini quo ad laicos & clericos non celebrantes, lib. 3. ad Pium Quartum Pont. Max. in quibus omnia quæ ad hanc

rem per-

rem pertinent, ex antiquis recentioribusq. theologis collecta, probe digeruntur, ac in examen vocantur, & hæreticorum exploſis erroribus orthodoxa fides aſſeritur.

Item, De vſu calicis, lib. 3.

Axiomata Chriſtiana, lib. 3.

Conſcripſit prætereа libros vndecim, Quadripertita iuſtitia nuncupatos, tomis quattuor admodum amplis diſtinctos: in quibus omnium quotquot extant Theologorum conquiſitis, excuſſis, probeque digeſtis ſentẽtijs, orthodoxa de Iuſtificatione noſtra fides aſſeritur, & hæreticorum errores eliduntur. Hæc omnia fuerũt Venetijs & alibi excuſa. Fertur etiam eum, priuſquam eſſet epiſcopus, egregie ſcripſiſſe in Prædicamenta, & libros Topicorum Ariſtotelis. Claruit in ſacra œcumenica Synodo Tridentina, quæ eum Chriſtianæ docteq. differentem, ſaluberrima in medium conſilia afferentem, & medicamenta, quæ ſubortas quaſdam animorum peſtes amoliri poſſint, commoſtrantem, non ſemel audiuit, meritisque laudibus eſt proſecuta. Viuit vſque ad præſentem diem 1575. aliaque multa ſcribere dicitur.

Anno 1562. Limnæ Indiarum de Peru habita congregatione confirmatur Vicarius prouincialis Andreas de Ortega: triaque Monaſteria ſuſcepta fuere, videlicet de la Paz, de la Platea, & Guadalupe.

Anno 1563. In oppido de Epazococan nouæ Hiſpaniæ patribus conuenientibus, prouincialem Vicarium eligunt Iacobum de Vertauillo.

Eodem anno Hieronymus Seripãdus S.R.E. presbyter Cardinalis legatus obijt Tridenti die 13. Martij, & ibi ſepultus in tẽplo noſtro S. Marci, vbi extant ei duo verſus.

Si quis honos tumuli, quantum ſol lampade luſtrat,
Terrarum, cæliq. tuum eſt Seripande ſepulchrum.

Hic vir ob ſingularem eius doctrinam, prudentiam, & vitæ integritatẽ, præter multos honores, quibus in Ordine functus eſt, fuit etiam per multos annos Prior generalis, quo deinceps ob moleſtam valetudinem abdicato, dum apud Carolum Quintũ

Cæſarem Auguſtum legatione nomine ſuæ ciuitatis Neapolitanæ fungeretur, ab eodem Archiepiſcopus Salernitanus denunciatus eſt, poſtmodũ Romam à Pio Quarto accerſitus, ad Cardineum decus ab eodem promotus, & ad concilium Tridentinum Legatus à Latere miſſus eſt.

Scripſit Seripandus docte & eleganter commentaria in omnes D. Pauli & ſeptem canonicas epiſtolas: ſed ea dumtaxat hodie impreſſa circumferuntur, quæ in epiſtolam D. Pauli ad Galatas elucubrauit.

Item, Expoſitionem in Euangelia quæ in Quadrageſima leguntur.

Quæſtiones 67. aduerſus hæreſes huius temporis.

Libros tres de hominis Iuſtificatione.

Tractatum vnum de peccato originali.

Orationes complures.

Sermones, quos in maioribus ſolemnitatibus ad Fratres habebat.

Libros quatuor diuerſarum materierum prædicabilium.

Hæc omnia aſſeruantur Neapoli in bibliotheca Monaſterij noſtri S. Ioannis ad Carbonariam, quam ipſe extruxit, eamque libris optimis omnium ſcientiarum generum & impreſſis & manuſcriptis offercit.

Damianus de Vdancos Hiſpanus, in monaſterio oppidi del Riſco regni Caſtellæ ſpiritũ Deo reddidit. Hic per multos annos tam ſancte vixit, vt diuinus potius quàm humanus ſemper fuerit adijudicatus, cuius etiam num tanta eſt exiſtimatio & deuotio, vt multi ſui ſepulchri terram ad curandos ægrotos inquirant.

Bernardus Hoiguin epiſcopus Elfinenſis in inſula Hybernia, vir multæ religionis & doctus, cum animaduertiſſet, ſuis concionibus ea in inſula vbi ad ſummum creuerant hæreſes, minime proficere, imo tumultuari, & animos quotidie obſtinatiores fieri, in Hiſpaniam venit, cumq. per triennium Burgis, Viſeriæ, & Toleti commoratus eſſet, poſtea in Luſitaniã profectus, in oppido quòd Villauitioſa nominatur, per ſancte obijt.

In In-

In India nouæ Hiſpaniæ obierunt religioſiſſimi viri, ſcilicet, Antonius de Roa, qui in monaſterio Burgenſi ſuſcepto habitu, orationibus intentiſſimus, cingulo è durioribus animalium pilis contexto ſubtus veſtem perpetuo vſus eſt, carnemq. ſæpius ferreis loris macerans, ſe vehementer Chriſti amore extenuauit. Ioannes Hiſpalenſis, qui in conuertendis Indorum animis ad verum religionis cultum ſummo ſtudio defatigauit, nec umquam hac in re conquieſcere viſus eſt. Nicolaus de Vitte Flander, qui relictis paternis opibus, quæ amplæ erant, diuino afflatus ſpiritu totus in ſalutem Indorum ſe præbuit, ſummaq. cura, ſtudio & diligentia in illis eccleſiaſtica adminiſtrauit ſacramenta.

Anno Domini 1564. Synodus ordinis peracta eſt Mediolani die 20. Maij, in qua idem Chriſtophorus Prior generalis alio quadriennio confirmatus eſt. In his comitijs hæc ipſa inter alia conſtituta fuere. Qui in Gymnaſijs aſſidue ſcientijs & doctrinis incumbunt, titulo qui primus conferri ſolet non inſigniatur, niſi quartum in eis perdiſcendis compleuerit annum: dehinc ſeptimo anno; ſecūdo: decimo anno, tertio: & duodecimo anno, ſupremo titulo decorentur: quod ſi ſuis temporibus nō profecerint, ad nullos vlterius gradus promoueantur. Studētes vagi, etiā gradu aliquo ornati, extra Gymnaſia plus æquo (vltra videlicet qnindecim dies) degentes, ſi admoniti non ſe reſpexerint, à ſtudio omni ſpe reditus præciſa expellantur. Omnes, qui poſt hac extra ordinem manſerint, etiam venia à Reuerendiſs. P. G. ſuper hoc obtenta, ſi quid eo in ſtatu peccauerint, tam à P. G. quàm ab Epiſcopo pro erratis corrigantur. Canones pro reformatione regularium à Sancta Tridentina Synodo editi, ab omnibus monaſterijs præſertim generalibus habeantur, legantur obſeruentur. Nullus Prior ſiue prouincialis ſiue conuentualis poſſit pœnā excommunicationis inferre abſque grauiſſima culpa, & cum conſilio ſanioris vel maioris partis conuentus. Magiſtri, niſi occupentur in alijs negotijs aut legitime excuſentur, ſingulis diebus feſtis prædicent, & aptiores conſcientiarum caſus certis diebus legant.

Ioan-

Ioannes Iacobus Barba ſacrarij Pontificij cuſtos epiſcopus Interamnenſis, è ſuo epiſcopatu diſcedens vt Romam proficiſceretur, in itenere graui quodam morbo iactatus, Ocriculi obijt,& reuectus Interamnum, ſua in eccleſia honorifice ſepelitur: cui in eodem officio apud Romanos Pontifices ſubrogatus eſt Egidius Piſaurenſis theologus, qui deinde à Pio Quito Pont. Max. creatus fuit epiſcopus Nepeſinus Sutrinus, & magiſter Scholæ cantorum.

Sacroſanctum Oecumenicum & generale Concilium Tridẽtinum iam pridem à Paulo Tertio Pont. Max. indictũ, tandem finitur,& à Pio Quarto Pontifice confirmatur: in quo affuerũt Ordinis Auguſtiniani theologi,

Hieronymus Seripandus Neapolitanus Prior generalis, deinde Archiepiſcopus Salernitanus, & S. R. E. presbyter Cardinalis & Legatus Concilij.

Ioannes Xuarez Luſitanus epiſcopus Coymbricenſis.

Ioannes Barba Neapolitanus epiſcopus Interamnenſis & cuſtos ſacrarij Pontificij.

Gaſpar de Caſal Luſitanus epiſcopus Leirienſis.

Franciſcus Ricardotus Burgundus epiſcopus Atrebatenſis.

Ioannes de Munuatones Hiſpanus epiſcopus Segorbicenſis.

Chriſtophorus Patauinus Prior generalis.

Aurelius Patauinus.

Gregorius Patauinus.

Paulus Senenſis.

Gabriel Anconitanus.

Aurelius à Rocha.

Adeodatus Senenſis.

Cherubinus Lauoſius de Caſſia hodie epiſcopus Theleſij.

Thadæus Peruſinus hodie Prior generalis.

Auguſtinus Moreſchinius de Monte Ilcino.

Angelus Ferus Venetus.

Gaſpar Syracuſanus.

Guilelmus Bononienſis.

Marianus Feltrenſis.

Simon

Simon Florentinus.
Ioannes Baptiſta Burgos Valentinus Hiſpanus.
Chriſtophorus de Sanctotis Burgenſis Hiſpanus.
Adamantius Florentinus.
Antonius Moridulphenſis.
Ambroſius Veronenſis.
Eugenius Piſaurenſis hodie epiſcopus Smirnenſis & Velitrarum Propræſul.
Egidius Volaterranus.
Andreas Volaterranus.
Aurelius Corinaltenſis.
Balthazar Maſſanus.
Sebaſtianus Fanenſis. &c.
Simon Patauinus.

Anno dom. 1565. Andreas de Vrdaneta, vir etiam ante ingreſſum Ordinis in arte nauigandi peritus, Iacobus de Herrera, Martinus de Errada, Petrus de Gamboa, & Andreas de Aguirre, cum ſe nauibus Philippi Hiſpaniarum regis in inſulas Moluccas traijcerent, indeque ad inſulam quandam ſpacioſam nomine Zebu applicuiſſent, ædificarunt ibi monaſterium, primique illis in regionibus & prouincijs, quæ hodie Philippinæ nominantur, Chriſti fidem, verumque religionis cultum diſſeminauerunt.

Anno dom. 1566. In ciuitate Mexicana nouæ Hiſpaniæ creatur Vicarius prouincialis Ioannes de Medina, vir ſingularis prudentiæ, ac in eccleſiaſticis rebus optime exercitatus. In ciuitate Limna Indiarũ de Peru, conſtituitur Vicarius prouincialis Andreas de Ortega, qui poſt annum obijt.

Eodem anno cœptum eſt ædificari in Hiſpania monaſterium S. Auguſtini in oppido de Talauera regni Caſtellæ, ſtudio & diligentia fratris Alphonſi de Horozco Philippi regis Hiſpaniæ concionatoris. Sequenti anno creatur Indiarum de Peru Vicarius prouincialis Ioannes à S. Petro.

Anno 1567. Pius Quintus Pont. Max. confirmat, & de nouo concedit Priuilegia omnium ordinum Mendicantiũ: & declarando

clarando aliquot decreta concilij Tridentini, decernit, vt Mendicantes in ſuis (niſi prædicet epiſcopus) eccleſijs poſſint abſq; vllo impedimento vel cõtradictione prædicare:& admiſſi ſemel in vna diœceſi, non teneantur amplius examinari ſeu præſentari in eadem:& confeſſores monialium & fratrum non examinẽtur,& præſententur : lectores ſimiliter aut graduati, vt poſſint à quocunque epiſcopo ordinari : Miſſas in diebus feſtiuis celebrare, etiam antequam celebretur in Parochiali : campanas pulſare, mortuorum corpora aſſociare & ſepelire:prædicare etiã ſi tunc in eccleſia cathedrali prædicetur : ſacramentum Euchariſtiæ infra annum diſpenſare, curam animarum exercere: non teneantur quartam funeralium ſoluere, nec ad aliquam alicuius rei contributionem, ſiue pro ſeminario, ſiue pro decimis, ſiue pro ſubſidijs, aut alijs quibuſcunque oneribus tam ordinarijs, quàm extraordinarijs.

Anno 1568. Egidio Piſaurenſi Sacrarij Pontificij cuſtode,& magiſtro ſcholæ cantorum defuncto, in eius locum ſufficitur Ioſeph Pamphilus Veronenſis theologus, qui deinde à Pio Quinto Pont.Max. deſignatus fuit Signinorũ epiſcopus. Signia vrbs eſt vetuſtiſſima in Latio citeriori, vbi iam olim Volſci inhabitarunt, in Lepino monte poſita, Colonia (vt narrat Dionyſius Halicarnaſſeus) Romanorum, Vitaliano Pont.Max.& beato Brunone quem Lucius Tertius in Sanctos retulit, decorata. Quæ cum aliàs fuerit florentiſſima, hodie tamen miſerrimo incendio, acerboq. ciuium interitu pontificatu Pauli Quarti, humilis eſt atque demiſſa, licet iam quaſi reuiuiſcere videatur. Deus faciat, vt ad priſtinum redeat ſtatum.

Auguſtinus Moreſchinius, natione Hetruſcus, patria Montalcinus, florentiſſimorum Ordinis gymnaſiorum moderator, in ſacris ædibus concionator quibuſuis alijs præſtantior & illuſtrior, elaborauit ex D.Auguſtini fontibus aduerſus noſtri temporis hæreticos tractatus aliquot, nempe,

De Purgatorio.

De Cultu & inuocatione Sanctorum, & eorum reliquijs & imaginibus venerandis.

De Ora-

De Orationibus, Eleemoſynis, & Sacrificijs pro defunctis.

Scripſit quoque, De Patientia lib. I.

De itineribus ad æternitatem, lib. I.

Quæ omnia fuerunt Neapoli excuſa. Deceſſit Mediolani, & in templo noſtro S.Marci ſepultus iacet. Cuius encomium & epinicia conſcripſit Antonius Maria Venuſtus ciuis Mediolanēſis, in epiſtola qua viuus, & oratione qua mortuus laudatur, Chriſtophoro Patauino Eremitanum Auguſtinianorum Generali dicata.

Gabriel Buratellus Anconitanus, vir in diuinis ſcripturis, & in philoſophia tam Academica quàm Peripatetica nobiliter doctus, qui easdē in præclaris noſtri Ordinis ſcholis profeſſus eſt, edidit in Septem Pſalmos Pænitentiæ commentaria, ſermone conſpicuo & ornato. Item elaborauit multum in conciliatione locorum Platonis & Ariſtotelis, tandemq. librum conſcripſit, cui titulus eſt, Præcipuarum controuerſiarum Ariſtotelis & Platonis conciliatio, Venetijs impreſſum.

Theophilus Longobardus ex oppido Triuilienſi, quod non longe à Mediolano diſtat, oriundus, vir in ſcripturis ſanctis non mediocriter eruditus, & in dicendo ad populum vehementer gratus, ſcripſit, Sermonum libros duos, vnum ſuper Euangelia Quadrageſimæ, cuius initium eſt, Cùm fides catholica fateatur: alterum in Euangelia à prima Dominica de Aduentu vſque ad Epiphaniam, qui ſic incipit, Erant filij Iſrael in deſerto.

Onuphrius Panuinius Veronenſis, vir ad omnes & Romanas & Eccleſiaſticas antiquitates è tenebris eruendas natus, præclara multa induſtriæ ſuæ monumenta reliquit, nempe,

Hiſtoriam Platinæ de Vitis pontificum Rom. longe quàm antea emēdatiorem, doctiſſimarumq. annotationū acceſſione illuſtriorem reddidit, cum adiunctione à Xyſto IIII. vſque ad Pium V.

Romanorum Pontificum Chronicon.

Chronicon aliud eccleſiaſticum à C. Iulij Cæſaris dictatoris Imperio vſque ad Imperatorem Cæſarem Maximi-

lianum Secundum.

Epitome Pont. Rom. à S. Petro vſque ad Paulum IIII. geſtorum videlicet, electionisq. ſingulorum, & conclauium compendiaria narratio, Cardinalium item nomina, dignitatũ tituli, inſignia, legationes, patria, & obitus.

Faſti & triumphi Rom. à Romulo rege vſque ad Carolũ v. Cæſ. Aug. ſiue epitome regum, conſulum, dictatorũ, magiſtrorum equitum, tribunorum militum conſulari poteſtate, cenſorum, Imperatorum & aliorũ magiſtratuum Rom. cum Orientalium, tum Occidentalium, ex antiquitatum monumentis maxima cum fide ac diligentia deſumpta.

Romanorum principum, & eorum quorum maxima in Italia imperia fuerunt, lib. 3.

De comitijs Imperatoris, lib. I. In quo vniuerſa Imperatorum eligendorũ ratio ab Auguſto Cæſare, vſque ad Imperatorem Carolum v. Auguſtum ſæpius immutata, explicatur: item Imperij Romani diuiſio in occidentale & orientale cũ alterius excidio, eiusq. per Carolũ Magnum, & Othonem Auguſtos reſtitutio referuntur.

De varia creatione Papæ ſiue Romanorũ Pontificũ, lib. 5. In quibus ea omnia enarrantur quæ inter infirmitatem & mortem vnius Papæ, & creationem & coronationẽ alterius acciderunt, cum legibus ſuper his emanatis, à S. Petro vſque ad Pium IIII.

De ritu ſepeliendi mortuos apud veteres Chriſtianos, & eorumdem cœmiterijs, lib. I.

Interpretatio multarum vocum eccleſiaſticarum, quæ obſcuræ vel barbaræ videntur, lib. I.

De ſtationibus vrbis Romæ, lib. I.

De antiquo ritu baptizandi catechumenos, & de origine benedicendi imagines cereas, quæ Agnusdei nominantur, lib. I.

Viginti ſeptem Pontificum Romanorum elogia & imagines accuratiſſime ad viuum æneis typis delineatæ.

De

De ſacroſancta baſilica, baptiſterio, & patriarchio Lateranenſi, lib. 4.

De dignitate ſedis Apoſtolicæ & poteſtate Papæ aduerſus auctores Centuriarum.

De origine Cardinalatus, lib. 1.

Vitæ Patriarcharum quatuor primarum ſedium, lib. 1.

De præcipuis vrbis Romæ ſanctioribusq. Baſilicis, quas ſeptem Eccleſias vulgo vocant, lib. 1.

De vetuſtis & recentioribus eccleſijs, monaſterijs, oratorijs, cœmiterijs, & alijs locis pijs ciuitatis Romanæ, lib. 10.

De Triumphis Commentaria.

De Ludis Circenſibus, lib. 2.

De Ludis ſæcularibus, lib. 1.

De Antiquis nominibus, & familijs Romanorum.

De Origne Sybillarum, & earum carminibus.

De Republica Romana Comment. lib. 3. hoc eſt, de ſitu & loco, de ciuitate & ſuis ædificijs; de ciuilitate, legibus, & forma regendi; de imperio per orbem & ſuis prouincijs.

De antiquitate, hiſtoria, & viris illuſtribus ciuitatis Veronæ, lib. 10.

De antiqua apud Gentes religione, vel potius ſuperſtitione, videlicet, de ſacrificijs, augurijs, haruſpicinis, ſortibus, ſacris epulis, ludis ſcenicis, gladiatorijs, & ferijs, lib. 12.

Chronicon vniuerſale à principio mundi cum noua quadam iuſtiſſima annorum inuentione, in quo explicantur inter alia amplius centum ſacræ ſcripturæ loci in ratione temporum. Diſpoſuerat, partimq. confecerat alios complures libros, tractatus, & hiſtorias, eam præſertim, quam Eccleſiaſticam vniuerſalem nominabat: quæ omnia morte præuentus inabſoluta & imperfecta reliquit. Deceſſit Panormi, dum Alexandrum Farneſium Cardinalem Vicecanc. in Siciliam proſequeretur, agẽs annum ſuæ ætatis quadrageſimum. Romæ poſtea in templo S.

Auguſtini marmoreo ſepulchro cum eius imagine ahenea condecoratus fuit, quod amici honoris cauſa poſuere.

Sebaſtianus Broilus, aliàs Ammianus, Fanenſis, à ſecretis Ordinis, vir admodum religioſus, & rerum plurimarum notitia atque intelligentia magnifaciendus, librum elaborauit Venetijs & alibi impreſſum, cui titulus eſt; Concluſiones catholicæ ex D. Auguſtini dictis, quibus oſtenduntur Lutheranorum mendacia. Item, cum Papiæ in quadam bibliotheca librum puluerulentum titulo, Chriſtiana inſtitutio uirtutum & vitiorum, ſine auctoris nomine comperiſſet, fore iudicans ſacri verbi Dei declamatoribus vtilem & neceſſarium, eum emendauit, & edens, Hieronymo Seripando Cardinali dicauit. Scribebat etiam de antiquitatibus vrbis Romæ, ſed librum non abſoluit, quia cum tempus & neceſſitas eſſet Patauium ſe ad comitia conferre, ibi penulis comitijs incredibili omniũ dolore de hac vita deceſſit.

Franciſcus Richardottus Burgundus epiſcopus Atrebatenſis, floruit in Concilio Tridentino, vbi habuit doctam & elegantem orationem, Louanij excuſam, quæ ſic incipit: Si quis rerum noſtrarum non ignarus.

Auguſtinus Guarinus à Montepeſulano, quæ ciuitas celeberrima eſt in Gallia Narbonenſi, ob diuini verbi prædicationem, qua Lutheranæ perfidiæ deditos acerrime confutabat, ab eiſdem vinculis alligatus, grauiſſimisq. ſupplicijs affectus, mortẽ tandem pro fide catholica oppetijt.

Ioannes Baptiſta Burgos patria Valẽtinus, natione Hiſpanus, doctor in Iure canonico, & in ſacra theologia peritiſſimus, qui publice in vniuerſitate Valentina honorifice theologiam & ius canonicum docebat. Perfunctus eſt quoque in ſua prouincia maxima cum dexteritate Prouincialatus munere, & per aliquot annos ſui monaſterij regimen tenuit, illudq. prudenter gubernauit & rexit. Bis fuit in Italiam ad Comitia Ordinis, Recineti ſcilicet & Bononiæ peracta, vbi egregie varias cõcluſiones, diuerſaque theoremata in publicis certaminibus ſuſtinuit. Tertio poſtmodum ad Cõcilium Tridentinum ſub Pio Quarto Pont. Max. celebratum, vbi uota ſua inter ceteros theologos in Pa-

trum

trum congregatione dixit, ac etiam orationem pulcherrimam, De quatuor extirpandarum omnium hæreſum præcipuis reme dijs, coram eiſdem Patribus mira cum omnium attentione & plauſu habuit, quæ Louanij & alibi inuenitur impreſſa.

Franciſcus à Chriſto Luſitanus, ſacræ theologiæ doctor eximius, eiuſdemq. publicus in clariſſima Conimbricenſi Academia profeſſor, linguarum peritus, ingenio præſtans ac diſertus eloquio, in lucem miſit Prælectionum ſiue enarrationum admirabilis diuini verbi Incarnationis libros ſex, Henrico Portugalliæ Infanti ac S.R.E. Cardinali dicatos, & Conimbriæ in officina Ioannis Aluares typographi regij impreſſos. In quibus omnia, quæ à Theologis de hoc abditiſſimo myſterio ſubtilius tertio Sententiarum libro diſſeruntur, accuratiſſime tractantur, & lucidiſſime explicantur. Auctoris præfatio incipit: Vniuerſa Chriſtiana theologia duobus potiſſimum capitibus continetur. Viuit vſque ad præſentem diem, & varia conſcribit. De cuius viri doctrina probitate, ac religione, numquam tot dici poſſunt, quot reuera dici deberent. Noui enim hominem doctum, integrum, benignum, & omni virtutum genere exornatum.

Ludouicus Hurtado de Penaloſa, vir eruditus & pius, Mexici noua in Hiſpania florens, elegantiſſime & prudentiſſime ſcripſit ad Chriſtophorum Ordinis Priorem generalem, librum, De incremento & vtilitate Ordinis Auguſtiniani in India nouæ Hiſpaniæ. Qui ſic incipit: Et ſi mihi longe.

Angelus Ferus Venetus, vir tam in ſæcularibus quàm in diuinis litteris nobiliter doctus, ſingulariq. facundia præditus, & officio euãgelicæ prædicationis egregie gratus, exarauit in Euã gelia quæ toto anno in eccleſia in Quadrageſima & Dominicis diebus proponi ſolent, conciones antiquorum & catholicorum Patrum ſententijs refertas. Claruit etiam in concilio Tridentino ſub Pio Quarto Pont. Max. vbi habuit in Dominica tertia Quadrageſimæ orationem eloquentiſſimam. Deceſſit Barij in Apulia præfectus Prouincialis, inſperata & repentina morte.

Thadæus Peruſinus philoſophus & theologus, ſumma auctoritate & doctrina, qui multos annos in Academijs Ordinis, & publi-

publice in Gymnaſio Peruſino & Romana ſapientia, vtiliter legit, claruit Tridenti in publico Patrum qui ad Concilium oecumenicum conuenerant conſeſſu, vbi vota dixit; & in feſto ſanctiſſimæ Aſcenſionis concionem habuit doctam & elegantem, Louanij & alibi impreſſam. Hoc viro vſus ſum præceptore, dum Patauij Dialecticis & Phyſicis, & Romæ theologiæ operam darem. Qui deinde per omnium noſtræ familiæ dignitatũ gradus, ad Ordinis in Romana Curia procurationem, & ad ſummum vſque in religione magiſtratum aſcendit. Scripſit ſuas prælectiones, & multa parat quotidie.

Adeodatus Senenſis diuinarum rerũ peritiſſimus, quas multis annis in publico Senenſi Gymnaſio magno applauſu profeſſus eſt, edidit orationes duas, vnam quam habuit Tridẽti in die Cinerum coram Patribus Concilij Pontificatu Iulij Tertij: alteram titulo, De reformandis, inſtaurandis & conſeruandis Coenobijs in Germania, quam habuit Viennæ in aula regia coram Ferdinando Romanorum rege.

Ludouicus Legionenſis ſiue de Leon, Hiſpanus regni Caſtellæ, vir eleganti ingenio, & in litteris Latinis, Græcis, & Hebraicis verſatiſſimus, & præter excellentem in omni omnium bonarum doctrinarum genere cognitionem, in explanandis diuinæ philoſophiæ libris valde commendatus; his temporibus cũ eandem diuinam philoſophiam in clariſſima Salmanticenſi Academia magno auditorum plauſu profiteatur, ſe ſuumq. ordinem magis decorat, nobilitat, & illuſtrat.

Ioannes Soarez Luſitanus, epiſcopus Conimbricẽſis, comes de Arganil, vir ſingulari beneficentia ornatus, & apprime eruditus, edidit Commentarios in Euangelium Matthæi, multis vtiliſſimis tractatibus diſtinctos. Quorum initium eſt: Beatus apoſtolus & Euangeliſta. Floruit in Concilio Tridentino celebris.

Sebaſtianus Tuſcanus Luſitanus, vir regularis amator diſciplinæ, & in diuinis ſcripturis & ſæcularibus litteris eruditus, ac præ ceteris eo in regno concionator egregius, edidit in Ioelem prophetam commentaria, quæ non ſolum commendanda ſunt, quia pietatem & verum prophetæ ſenſum referunt, verum etiã

quòd

quòd ad hæreticorum dogmata extirpanda,& ad pietatem promouendam omnibus concionatoribus conferant.

Anno dom. 1568. Habita ſunt Comitia Patauij, die 5.Iunij, in quibus Chriſtophorus Patauinus Prior generalis confirmatus eſt. Conſtitutum, vt Prior prouincialis cum ſui officij tempus expleuerit, prouincialia comitia ſtatim celebret, niſi eo anno occurrat comitiorum generalium celebratio, qui vnà cum Definitoribus decernat de loco & tẽpore quo comitia debeant celebrari. Nemo Prouincialium, ſeu Priorum, qui ſtatim defunctus eſt officio ſuo, poſſit in electionem Prouincialis ſeu Prioris immediate ſequentis eligi ſeu declarari ſuffragiorum ſcrutator: & quòd nomina eligentium in vlla electione ſcribantur, ne umquam quis quem elegerit agnoſci poſſit, ſed ſcrutatorum fidei omnino ſtandum. Nullus poſt hac Prouincialis aliquid eorum quæ in Definitorio à patribus ſtatuta ſunt, immutare, nec in rebus grauibus ad prouinciam ſpectantibus tentare, nec circa officij ſui finem Priorem quempiam ab officio priuare, aliumque ſubſtituere, abſque patrum Definitorum conſenſu, audeat. Fratres ex prouincijs Hiſpaniarum, qui ſine litteris ſuperiorum ad Vrbem, vel ad R.P.G. venerint, non recipiantur, etiam ſi ſtudij gratia venerint, nec ad gradus aliquos aut ordines, etiam ſi idonei ſint, promoueantur, ne alijs occaſio Romam veniẽdi, & obedientiam contemnendi detur.

Anno dom. 1569. Chriſtophorus Prior generalis moritur Romæ, die quarta Februarij, ætatis ſuæ anno ſexageſimo nono, Vicariuſq. generalis à Pio V. Pont. Max. conſtituitur, Thadæus Peruſinus Ordinis procurator. Chriſtophorus fuit quidẽ theologus & philoſophus inſignis, & vitæ innocentia & morum ſanctimonia clariſſimus. Qui cũ in extremo laboraſſet (ex ſe prius Extrema vnctione ſanctiſſima petita) Chriſtum ſemper in cruce ſecum in manibus voluit, illumq. amplexabatur & oſculabatur, hæcq. verba grandi & apertiſſima voce, intrepidoq. corde proferebat: In manus tuas commendo ſpiritum meum. Quibus verbis tertia vice prolatis, ex hac vita emigrauit. Et antea non ſemel hortabatur patres & filios qui circa eum aſtabant, vt ſolum de re-

de rebus diuinis loquerentur: & ſæpiſſime verſus imaginẽ Chri ſti aſpiciens dicebat: Trahe me poſt te, trahe me poſt te. & vniuerſum Ordinem Chriſto ardentiſſimis verbis atque lacrymis vehementiſſime commendabat. In cuius poſtea ſcrinio reperti fuere Tractatus vel potius vota, Romæ in Congregationibus, & Tridenti in Concilio habita.

De Sacroſancto Euchariſtiæ ſacramento.
De ſacrificio Miſſæ.
De Pænitentia.
De Extrema Vnctione.
De Voto ſolemni.
De epiſcoporum reſidentia: & ſimilia.

Eius etiam extant orationes & ſermones complures, quos corã Papa & Cardinalibus, Ordinis procurator, & ad Fratres, Prior generalis habuit. Conditur in eccleſia noſtra S. Auguſtini honorifica ſepultura, quam ipſe ſibi ſucceſſoribusque Generalibus communem fieri mandauerat.

THADAEVS PERVSINVS P. G.

ANNO Chriſti 1570. Comitia Ordinis coacta ſunt Peruſiæ in monaſterio S. Auguſtini, pridie idus Maij, in quibus Prior generalis creatus eſt Thadæus Peruſinus theologus, vir ob morum ſuauitatem, ſingularemq. eruditionem, & præclarum ingenium, multum in Rom. Cur. à Pontificibus præſertim, & Sacro Reuerendiſs. Cardinaliũ Collegio dilectus: cuius officio certum fructum Auguſtiniana reſp. colligere atque percipere ſibi pollicetur.

In his comitijs ſtatutum fuit, vt Definitor generalium comitiorum in poſterum à Definitoribus prouinciæ eligatur eo modo quo eliguntur Prouinciales, ita ut ad eiuſmodi Definitoris munus hi tantum eligantur qui & prouincialis præſidis officio functi iam fuerint, nec Definitores hactenus extiterint, habita ſemper ratione antiquioris ætatis, ita vt nemini (ſi fieri poteſt) hac in parte iniuria fiat. Diſcreti prouinciarum in comitijs generali-

neralibus ſemper ſint aliqui ſtudiorum doctores regentes, nullo ab eiuſmodi munere Gymnaſio reiecto: in prouincijs verò vbi nulla ſunt ſtudia vel Gymnaſia, diſcreti eligantur, quemadmodum & definitores & prouinciales. In prouincia Apuliæ in conuentu Andrianenſi ſtudioſorum iuuenum Gymnaſium inſtituatur, qui ibidem ab erudito præceptore Dialectices & Philoſophiæ elementa audiant & addiſcant. Nemo ad ſtudiũ, aut ſacros ordines ſuſcipiendos promoueatur, niſi prius fuerit diligenter per examinatores in quacunque prouincia deputandos examinatus. Qui gradus, aut dignitates, ſeu officia, vel quæcunque commoda in religione, fauore laicorum aut aliorum quorumlibet procurauerit, ea nedũ conſequatur, ſed & ſi quid gradus, dignitatis, officijue habet, amittat. Qui defectus errataq; fratrum, & alia quæcunque religionis ſecreta, alicui extra ordinem reuelare præſumpſerint, ad omne officium perpetuo inhabiles exiſtant, & tamquam infames ab omnibus repellantur. In quibuſcumque diebus tres illi Pſalmi cũ ſermone beati Patris Auguſtini, quos in laudẽ beatæ Mariæ, antiquorum Patrum inſtituto poſt Completorium recitare tenemur, dicantur omnino, niſi fuerit officium duplex, aut ſemiduplex: ſextis autem ferijs ſolemniter decantentur.

Anno dom. 1572. Prior Generalis Thadæus Peruſinus profectus eſt in Galliam, Hiſpaniam, & Luſitaniam, vt Ordinem in illis partibus collocatum inuiſeret & luſtraret. Quibus in locis quàm læte hilariterq. fuerit ab omnibus præſertim Regibus & Principibus exceptus, doniſq. plurimis donatus, cũ id cognitũ perſpectumq. ſit, explatione non eget. Viſitauerat antea grauiores Italiæ prouincias, multumq. in eas operæ impendit, vt Gymnaſia augerentur, monaſteria amplificarentur, repararentur, reſarcirentur.

Anno dom. 1574. Ioſeph Pamphilus epiſcopus Signinus ſacrarij Pontificij cuſtos, cum ſe ad ſuam eccleſiam recepiſſet, ad illud officinm Gregorius Pont. Max. Auguſtinum Fiuizanenſem Theologum, qui ſibi à confeſſionibus ſecretis erat, accerſiuit.

Anno dom. 1575. Synodus Ordinis Romæ in conuentu S. Auguſtini die 22. Maij, coacta eſt, in qua idem Prior generalis confirmatur. In his comitijs inter alia ſancitum fuit, vt feſtũ D. Guilelmi cum octaua celebretur, deq. eodem in ſuffragijs, precibusq. ſanctorum fiat commemoratio: & vt poſt Miſſam maiorem (niſi ſolemnis dies exiſtat) decantetur antiphona, Aue regina cælorum, mater regis Angelorum. Præterea, vt in poſterũ nemo ad gradum magiſterij admittatur, niſi prius recte, laudabiliterq. quatuor aut tribus annis ſaltem Regentis munus exercuerit, vel in officio prædicationis ſpecimen de ſe dederit. Item vt prouinciales præſides ius & officium ſuum exerceant in omnibus monaſterijs ſuæ prouinciæ, etiam ſi ſint cõuentus quos generales uocant, & præſertim in corrigendis fratrum moribus, & in diſquirẽda examinandaq. ipſorum officialium adminiſtratione, præterquam in his conuentibus vbi viget ſtudium generale, qui ad ſolam P.G. diſpoſitionem & auctoritatem ſpectent. Item ad euitandos nimios ſumptus, vagosq. fratrum diſcurſus, ſtatutum eſt, ne eo anno quo generalia comitia habentur, vlla prouincialis ſynodus alicubi in Italiæ prouincijs celebretur, ſed neque etiam anno ſtatim ſequente, niſi neceſſitas aliqua aliud poſtulare videatur. Viſum eſt etiam ipſa generalia Ordinis comitia haud ita frequenter habenda eſſe, cum propter multas & graues totius Ordinis expenſas, tum propter difficultates maximas atque incommoda patrum, qui ex vltramontanis prouincijs huc accedere coguntur: ſed deinceps de ſexennio in ſexennium habeantur, niſi accidat interea temporis nouum totius Ordinis moderatorem deligendum eſſe: interim tamen, ſi neceſſe fuerit, congregationes quædam Priorum prouincialiũ, & Priorum conuentuum generalium tantum habeantur. Decretum aliàs factum, quo cauebatur, ne quis Definitor in generalibus comitijs eſſe poſſit, ni prius prouincialatus munere, nec Diſcretus, niſi prius regentis officio functus eſſet, ſic temperatur, vt videlicet in citramontanis prouincijs tantum exequatur, in vltramontanis vero earundem prouinciarum mos & conſuetudo ſeruetur; ita tamen, vt qui ſemel definitoris munus cum potuit ac

debuit,

debuit, obire renuit, ad eiuſmodi officium nequaquam amplius admittatur.

Anno Dom. 1575. Gregorius XIII. Pont. Max. Romæ in Eccleſia noſtra S. Auguſtini donauit altare priuilegiatũ D. Nicolao Tolentinati dicatum. In quo quoties quicũque ſacerdos ſiue ſæcularis ſiue regularis ſuo vel alieno arbitrio Miſsã ꝑ libe ratione animarum in purgatorio exiſtentium celebrauerit, ipſæ animæ per huiuſmodi celebrationem eaſdem Indulgentias & peccatorum remiſſiones conſequentur, & ad animarum liberationem, pro quibus celebrabuntur dictæ Miſſæ, operabuntur, quas conſequerentur & operarentur, ſi dicti ſacerdotes hac de cauſa Miſſam ad altare ſitum in eccleſia monaſterij beati Grego rij de Vrbe ad id deputatum, celebrarent.

Rodericus de Solis Hiſpanus regni Caſtellæ, vir admodum religioſus, & ſacris litteris non mediocriter eruditus, à Pio Quinto in regno valentiæ, Aragoniæ, & Cathaloniæ reforma tor & vicarius generalis conſtitutus, ſua præclara exiſtimatione maiorem Ordini exiſtimationem cumulat atque adauget.

Alphonſus Gutierrez à Veracruce, vir ſcientia & ſanctitate clarus, vnà cum vigintiquatuor alijs fratribus ex Hiſpanijs ſelectis, regio iuſſu, eiuſque regali Indorum conſilio ad inſulas Ma luccas deueniunt, vbi primi verum Dei cultum diſſeminauerunt. Solum ordinem noſtrum ad hoc munus illis in locis perſoluendum elegit Philippus rex. Hunc Alphonſum adamabãt plurimum & venerabantur.

Ioannes de Sumaraga epiſcopus Mexiconenſis, & Antonius de Mendoza, & Ludouicus de Velaſco Proreges Indiarum. Ille eum in publicis ſermonibus ſæpius allegabant, iſti vero quoties prouinciam inuiſebant, toties Alphonſum vt eum de regimine & ſalute Indorum conſulerent, adducebant. Multa etiam (vt audio) ſcripſit, ſed librum duntaxat excuſum vidi, qui De matrimonij ſacramento pertractat. Fertur etiam eum Indis euangelium eorum lingua prædicaſſe annis viginti, & electũ epiſcopum de Nicaragua, recuſaſſe.

Hieronymus Roman Hiſpanus, & Ioannes à S. Ioſeph Luſi

tanus, viri ſpectatis moribus, & haud ſegnes antiquitatis & progeſſionis ordinis indagatores, ſuo ipſorum idiomate Chronica ab Auguſtino patre ad hæc vſque tempora conſcripſerunt.

Vincentius Montagneſius Valentinus regni Aragoniæ, vir omni diſciplina, præſertim Muſica, Grammatica, Rhetorica, Dialectica, naturali & diuina philoſophia mire eruditus, quas Valentiæ ciuitate percelebri apud Hiſpanos in publico Gymnaſio profeſſus eſt, lucubrauit elegantiſſima in omnes Ariſtotelis Logicæ libros commentaria: nec dubito, quin illis partim olim editis & partim edendis ſe poſteritati commendauit. Mortuus eſt Barchinonæ anno 1573. dum priorem generalem Thaddeum Peruſinum comitaretur in Galliam.

Dionyſius de Sigillo oppido in agro Peruſino, philoſophus & theologus, doctrinæque Egidij Romani interpres exercitatiſſimus, quam pluribus annis in Academijs Ordinis profeſſus eſt, multosque in ea diſcipulos erudijt & docuit, accuratas in libris & operibus Egidij ſcripſit annotationes, quæ à multis illius doctrinæ ſtudioſis cuſtodiuntur. Obijt Peruſiæ anno Iobilei 1575. in eccleſ. S. Auguſtini ſepultus.

Auguſtinus de Ieſu Luſitanus, vir nobilis, & commemorabili pietate ac virtute præditus, qui cum per omnem Germaniam ſuperiorem Prouincialis & Vicarius generalis ad reſtituēda in ſtatum priſtinum monaſteria deſtinatus fuiſſet, ita ſe eis in partibus exhibuit, vt multa reduxerit, & maxime illud noſtrū Pragenſe in Boemia, quod funditus interierat, ad vicus inſtaurationem Gregorius XIII. Pont. Max. certum in pecunia præſidium attulit.

Adamas Florentinus, vir humaniſſimus Græcis litteris & Latinis & Hebraicis eruditus Geographia item, Mathemate, aliisque rectiſſimis ſtudijs atque artibus exornatus, Claruit in Cōcilio Tridentino apud omnes gratiſſimus, vbi habuit orationē nomine Oratoris Septem cantonum Heluetiorum catholicorū in eius comparitione. Qui cum hodie Romæ iubente Grego. XIII. Pont. Max. reſideret vt reuiſor & emendator Thalmud Hebræorum, eiuſque gloſſæ annotationum & interpretationum

num omnium, obijt die 17. Ianuarij 1581. in Templo D. Au guſtini ſepultus.

Eugenius Piſaurenſis theologus & concionator egregius, claruit in Tridẽtina Synodo, vbi Dominica tertia Aduẽtus Do mini orationẽ ad Synodũ, & in frequẽte Cõcilio ſacro Quadra geſimæ tempore conciones habuit celeberrimas & gratiſſimas. Quẽ præ alijs multis elegerat Guido Ferrerius Vercellẽſis Car dinalis ampliſſimus, vt ſibi eſſet à cõſciẽtiæ colloquijs, et ſui ſuæ. que domus theologiæ doctor & lector. Creatus deinde Smir- nenſis epiſcopus & Veliternorũ Propræſul, cõſumptis Velitris quinque & amplius annis è vita deceſſit die 21. menſis Iunij. 1580. & in eccleſia cathedrali S. Clemẽti dicata ſepultus iacet.

Theophilus à Vairano theologus & philoſophus inſignis, Romam vbi doctiſſimus in diſputando habebatur, accerſitus vt in publica Academia Peripateticam doctrinam profiteretur, ibi magna auditorũ frequentia tot honores aſſecutus eſt, quot quiſque deſiderare poteſt. Deinde cum eum elegiſſet præcla riſſimus & excellentiſſimus Princeps M. Antonius Columnius, vt Aſcanij eius filij in eam philoſophiæ partem quæ circa natu- ræ obſcuritatem & differendi ſubtilitatem verſatur, eſſet præce ptor & doctor, in Siciliam demum vbi dictus excellentiſſimus Princeps Hiſpaniarum Regis exercebat imperia, morte obijt pene repentina, & Parnomi in templo noſtro Auguſtiniano ſe- pultus iacet. Scio eum multa in philoſophia & theologia ſcri- pſiſſe & annotaſſe, quæ nondum peruenerunt ad lucem.

Alexius Seradella, natione Hetruſcus, patria Fiuizanenſis, dictus de Genua, vbi Ordinem profeſſus eſt, inter Italicos cõ- cionatores hoc noſtro tempore præcipuus, nonnulla ad poſte- ros laborum ſuorum monumenta tranſmittit. De quibus ho- die excuſa ſunt, Conciones duobus voluminibus diſtinctæ. Dialogi tres, vnus de miſeria humana, alter De diuino amore, & tertius De gloria paradiſi. Hic à Gregorio XIII. Pont. Max. Epiſcopus Nepeſinus Sutrinus conſtitutus eſt, cum eo tempo- re Ordinis procurator exiſteret. Deinde ab eodem Pontifice Nuncius ad Carolum Archiducem Auſtriæ deſtinatus, cum eò

ſe con-

ſe conferret, in itinere febri correptus, è uita apud ſuos deceſſit, die 27. Auguſti. 1580.

Spiritus Angoſciolus Vicentinus, vir prudens & probus, & theologia, philoſophia præcipue academica, cæterisque liberalibus doctrinis perpolitus, Romæ dum coram Pio Quinto Pőt. Max. & Cardinalibus, ſermones aliquot haberet electiſſimis verbis grauiſſimisque ſententijs ornatos atque refertos, in eruditione & dicendi arte non tam ſpecie & opinione vulgi, quàm re & iudicio prudentum, ſumma cum ſui & Ordinis laude primatum obtinuit. Viuit homo magnæ expectationis, annos non dum natus 45. fuitque proximis diebus totius Ordinis Procurator electus, quod officiũ diligenter exercet, omniumque gratitudine & beneuolentia. Eius quoque virtus enituit, quando quorundam Neapolitanorum procerum nomine, Melitem Inſulam ad Magnum Hieroſolymitani ordinis Magiſtrum F. Ioannem Valla delegatus, ipſi præclariſſimo excellentiſſimoque Principi, reliquiſque eiuſdem ſantæ Militiæ equitibus, inſignẽ de Barbaro hoſte victoriam, hoc eſt, de potentiſſimo Turcarum tyranno luculentiſſima oratione gratulatus eſt. Generalibus comitijs interfuit. Vbi cum de ſumma rerum ideſt de mutandis vel ſtabiliendis Hieroſolymitani ordinis ſedibus ageretur, ad excitandos confirmandoſque equitum animos ad Melitenſem ipſorum ſedem conſeruandam, ad nouamque vrbem in ea ædificandam, eiuſdem Magni magiſtri iuſſu, coram grauiſſimo eorum ſenatu publice perorauit. Cumque biennium perpetuum inibi Magno magiſtro vniuerſoque Ordini à concionibus fuiſſet, ab eodem Principe ampliſſimis muneribus donatus atque honeſtatus, Romam ad ſanctum patrem Piũ Quintum Pont. Max. grauiſſimis de rebus totius Chriſtianæ Reip. ſtatum ſpectantibus, cum ſanctitate ſua acturus, deſtinatur. Scripſit præter orationes plurimas, ac ſacrorum aliquot poematum explicationes, nonnullos etiam theologicarum rerum tractatus, quos poſteris poſt eius obitum videre licebit.

Donatus Marra de Beneuento, theologus inſignis, & in cõponendis monaſterijs induſtrius, qui confectionis magnificæ &

nobilis

nobilis fabricæ monaſterij S. Auguſtini ciuitatis Neapolitanæ fuit hortator & author, multũque diligentiæ adhibuit vt conſtrueretur & proſequeretur: monaſterium quoque Beneuentanum non ſolum conuenientibus ædificijs exornauit, & pene ex integro reſtaurauit, ſed & fundis reditibuſque auxit & amplificauit. Scripſit præter alia Enarrationes optimas in hymnos omnes, qui cantantur in Eccleſia ſecundum morem S. R. E. & ſecundum ordinem Breuiarij nuper editi, necnon religioſorum ordinum SS. Auguſtini, Benedicti, Dominici, Franciſci, & Carmelitarum, Neapoli apud Horatium Saluianum impreſſas, & Thadæo Peruſino ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini Priori generali digniſſimo dicatas, nõnullisque egregijs poematibus; quæ Melidonius Coriolanus & Antoninus Siculus fratres Eremitæ Auguſtiniani poſuere, exornatas.

Ambroſius Frigerius de Baſſiano, celebri Vincentiæ oppido, vir ſane optimorum morum & laudabilis vitæ, & in humanis diuiniſque litteris edoctus, hoc ſæculo florens edidit Hetruſca lingua vitam glorioſam & miracula illuſtria S. Nicolai de Tolentino noſtri ordinis, Iacobo Sabello Cardinali ampliſſimo dicata, ſuiſque iconibus ſummo artificio expreſſis, vniuerſam hiſtoriam exhibentibus, & oculis ſumma cum gratia repræſentantibus.

Conſtantinus à Monte ſancti Sauini, Epiſcopus primum ciuitatis, Schalæ (quæ à Melphi, vbi oſſa S. Andreæ condita ſunt non longe diſtat) deinde per Gregorium xiij. Pont. Max. ad Eccleſiam Cortonenſem in Tuſcia translatus, hoc tempore optimis operibus & litteris clareſcit.

Franciſcus Piſanus, vir ſummo ingenio præditus, & in ſacra theologia, alijſque optimis artibus exercitatiſſimus, quas Piſis in publico gymnaſio profitetur, & ſi vſque modo nihil in lucem ediderit, multa tamen parat quotidie, quæ tandem omnia ſimul diuulgabuntur.

Ioannes Baptiſta Augubinus Vmber, in Hebraica lingua & ſcripturis diuinis ſtudioſiſſimus, cuius mores & doctrina tam arridebant Paulo Aretio de Itrio Cardinali religioſiſſimo, eius

temporis

temporis Archiepiſcopo Neapolitano, vt illum præ aliis omnibus in ſui ſuæque domus præceptorem & lectorem elegerit: hoc tempore claret, qui etiam multa ſcripſit propediem imprimenda.

Ioſeph Pamphilus Veronenſis, Signinus Epiſcopus, in lectionibus antiquorum Patrum ſtudioſus, bibliothecarum peruestigator, & in hiſtorijs non mediocriter verſatus, aliarumque diſciplinarum, maximeq. Muſicæ edoctus, vſque in præſentem annum 1579. hæc ſcripſit. Chronicon Ordinis F. Eremitarũ S. Auguſtini, à D. Auguſtini ortu uſque ad annum Dom. 1575. in quo potiſſimum homines aut ſanctitate, aut litteris, aut dignitatibus clari breuiter exponuntur. De origine multarum, grauiſſimarumque in Eccleſia cærimoniarum, lib. 1. De Canonibus Apoſtolorum, & epiſtolis primorum quorundam Romanorum Pontificum, longam & eruditam diſputationem. De ſacris ritibus apud veteres Pontifices in conficiendis & adminiſtrandis Baptiſmatis, Chriſmatis & Sanctæ Euchariſtiæ Sacramentis, lib. 3. De exorciſtis, & antiquo ritu torquendi & expellendi Dæmones, lib. 2. Edidit quoq; Diœceſanam Synodum Signinam, quam habuit die 26. menſis Aprilis, 1579.

FINIS.

CATALOGVS SANCTORVM ET BEATORVM,

Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini.

SANCTI.

AVGVSTINVS Epiſcopus Hipponenſis, Eccleſiæ doctor, Ordinis fundator.
Guilhelmus confeſſor olim Aquitaniæ Galliarum Prouinciæ dux.
Nicolaus de Tolentino.

BEATI.

AAGATHON Indus.
Albertinus de Verona.
Albertus Gallus.
Albertus de Padua doctor.
Albertus de Vrino.
Alexander de Saxoferrato Cardinalis doctor
Alphonſus de Borgia Hiſpanus.
Aluarus Montero de Vlysbona.
Andreas de Fabriano.
Andreas de Monte Regali doctor.
Angelus de Burgo S. Sepulchri.
Angelus de Fulgineo.
Angelus de Furcis.
Angelus de Garfagnana.
Antonius de Amandola.
Antonius de Agila Siculus.
Antonius de Choceria.
Antonius de Corneto.

Antonius Florentinus.
Antonius de Fuentes Hiſpanus.
Antonius Peruſinus.
Antonius Rauenas.
Antonius de Roa.
Auguſtinus Vicentinus.
Auguſtinus de Turiano.
Auguſtinus de Senis.
Auguſtinus Romanus doctor.
Auguſtinus de Therma cognomento Nouellus doctor.
Auguſtinus de Ancona doctor.
¶ Bandinus de Belzetis Senenſis Ilicetanus.
Bartholomæus de Palazzolo Terbeatus cognominatus.
Bernardus Brixianus.
Bonauentura Patauinus Cardinalis doctor.
Bonifacius de Mediolano.
Bonifacius de Sauona.
Bonſemblantes Patauinus doctor.
¶ Clemens de Auximo Prior generalis.
Chriſtianus Francus S. Ioannis de Carbonaria.
¶ Damianus de Vdancos Hiſpanus.
¶ Egidius Romanus doctor Archiepiſcopus Bituricenſis.
Euangeliſta de Bugiolla.
Euangeliſta Veronenſis.
Exarcus Valentinus.
¶ Felix Appulus.
Felix de Luca.
Forſeus Ibernicus.
Franciſcus de Hungaria.
Franciſcus Vrbeuetanus.
Franciſchinus de Rauenna.
¶ Galganus Cluſinus Volaterranus.
Georgius Cremonenſis lector.
Gerardus Bergomenſis epiſcopus Sauonenſis doctor.
Gratia Catharinus Paduanus.

Gre-

Gregorius de Veruculo.
Gregorius Senenſis.
Gualterus Recluſus Anglus doctor.
Gundiſalus de Lagos Luſitanus.
Guilhelmus Anconitanus.
Guilhelmus Flete Anglus doctor.
Guilhelmus Toloſanus.
¶ Henricus de Vrimaria Germanus doctor.
Hermanus de Allis Germanus lector.
Hermanus de Scildis Germanus doctor.
Hertinodus Gothus.
Hieronymus de Rechaneto.
Huldrycus Brunſuich Germanus.
¶ Iacobus de Ancona.
Iacobus de Cerqueto.
Iacobus Senenſis Ilicetanus.
Ioannes Anconitanus.
Ioannes de Eſtremoz Luſitanus.
Ioannes Bonus de Mantua.
Ioannes de Florentia.
Ioannes de Lana Bononienſis Baccalaureus.
Ioannes Maria de Ponte.
Ioannes de Moia aliàs Baptiſta Hiſpanus.
Ioannes Nouarienſis lector.
Ioannes Rochus Portius Papienſis doctor.
Ioannes Sahagun ſiue de Sancto Facundo Hiſpanus.
Ioannes Senenſis Illicetanus.
Ioannes Simplex Reatinus.
Ioannes Stoneus Anglus doctor.
Ioannes Tertius Senenſis doctor.
Ioannes de Tolentino.
Ioannes Vallis Attini Spoletanæ diœceſis.
Iodocus Anglus.
Ioſeph de Sancto Geminiano.
¶ Lanfrancus Septalanus Mediolanenſis primus poſt vnionem

Prior generalis.
¶ Latinus Senenſis Ilicetanus.
Luchinus de Mediolano.
Ludolphus de Canoslaria Germanus.
Lupus de Suriano ad Montem Cyminum.
Ludouicus de Capua Baccalaureus.
¶ Manfredus de Alenia.
Martinus Cordubenſis.
Martinus de Vllate Hiſpanus.
Martinus Vercellenſis.
Matthæolus de Camerino.
Michael de Luca.
¶ Nicolatius Senenſis Ilicetanus.
Nicolaus de Agreda Hiſpanus.
Nicolaus de Tinis Senenſis Ilicetanus.
¶ Paulus cognomento Eremita Secundus.
Petrus Andegauenſis.
Petrus Eugubinus.
Petrus de Fabriano.
Petrus Florentinus Cognomento Camerata.
Petrus Montis Tiani.
Petrus Senenſis cognomento Sanctus.
Petrus de Valle Roſiæ Senenſis.
Peregrinus De Verona.
Philippus de Placentia.
¶ Rigus de Miratoio.
¶ Sanctus de Cora.
Simon de Caſſia doctor.
Simon de Camerino lector.
Simon de Tuderto lector.
¶ Thadæus de Canaria Luſitanus.
Thebaldus de Verona epiſcopus Veronenſis.
Thomas de Arimino.
¶ Vgolinus de Cortona.
Vgolinus de Mantua.

Vitus

Vitus Pannonius.
Vmbertus de Accarigio Ilicetanus doctor.

SANCTAE ET BEATAE.

MONYCHA Mater Sancti Auguſtini.
¶ Bartholomæa Senenſis.
¶ Catharina Roman de Madrigal.
Catharina Vſſamenſis, ſiue de Oſma.
Clara de Montefalco.
Clarella de Montefalco.
Chriſtiana de S. Cruce Vallis Arni.
Chriſtiana de Spoletio.
Chriſtiana Vicecomes Mediolanenſis.
¶ Eliſabeth de Toleto.
¶ Helena de Como.
Helena de Vtino.
¶ Ioanna de Montefalco.
¶ Leonora de Madrigal.
Lucia de Brixia.
¶ Magdalena de Albericis de Como.
Maria de Genua.
Maria Diaz de Madrigal.
Marina Armentera de Madrigal.
Mencia Veiar de Madrigal.
¶ Petrucia Genezanenſis.
¶ Rita de Caſſia.
¶ Sancta Genezanenſis.

EPISCOPI QVI IN HOC OPERE MEMORANTVR, IVXTA ORDINEM LITTERARVM EPISCOPATVVM.

ADurenſis epiſcopus Robertus Vualdeby.
Alexandrinus Patriarcha, Petrus Limouix.
Amalphiæ archiepiſcopus Alphonſus Aquulenſis.
Andegauenſis Propræſul Ioannes Rouault.
Apamiæ in Gallia primus epiſcopus, Raymundus Apamienſis.
Aquenſis epiſcopus, Petrus Lemouix.
Argolicenſis epiſcopus, Hieronymus Patauinus.
Ariminenſis epiſcopus, Hieronymus Ariminenſis.
Ariminenſis epiſcopus, Vgolinus Vrbeuetanus.
Atrebatenſis epiſcopus, Franciſcus Ricardotus.
¶ Biturigenſis archiepiſcopus, Egidius Romanus.
Bouenſis epiſcopus, Auguſtinus de Goneſſa.
Bouianenſis epiſcopus Alphonſus Aquulenſis.
Burdegalenſis archiepiſcopus Iacobus Toletanus.
¶ Capitis uiridi epiſcopus Franciſcus à Cruce.
Cardicenſis epiſcopus Benedictus Nordouolgius.
Caſtellanus epiſcopus Rodulphus Caſtellanus.
Caſtellanus epiſcopus Ioannes Senenſis.
Ceſenenſis epiſcopus Auguſtinus Romanus.
Ceſenenſis epiſcopus Bernardus Florentinus.
Chalcedonenſis epiſcopus Matthæus Senenſis.
Chriſtopolitanus epiſcopus Iacobus à Valentia.
Churenſis epiſcopus Vlricus à Lentzenburg.
Ciceſtrenſis epiſcopus Robertus Vualdeby.
Ciuitatis nouæ epiſcopus Petrus de Bruniquello.
Condatenſis epiſcopus Petrus Lemouix.
Conſtantinopolitanus Patriarcha Vgolinus Vrbeuetanus.
Cortonæ epiſcopus Conſtantinus à Monte S. Sauini.
Coymbricenſis epiſcopus Ioannes Xuarez.
Coymbricenſis epiſcopus Gaſpar Caſalius.

¶ Dar-

¶ Darcucenſis epiſcopus Bernardus Valentinus.
Dublinienſis archiepiſcopus, Robertus Vualdeby.
Dyrrachienſis archiepiſcopus Nicolaus Aquulenſis.
Dyrrhachienſis archiepiſcopus Gabriel Anconitanus.
¶ Eboracenſis archiepiſcopus Robertus Vualdeby.
Electenſis epiſcopus Petrus Lemouix.
Elfinenſis epiſcopus Bernardus Hoiguin.
¶ Fani Aſaphi epiſcopus Ioannes Louue.
Feſulanus epiſcopus Guilelmus Becchius.
Florentinus epiſcopus Onuphrius Florentinus.
Foroliuienſis epiſcopus Raymundus Apamienſis.
¶ Genenſis epiſcopus Ferdinandus de Caſtro viridi.
¶ Heleneapolitanenſis epiſcopus Paulus à Sancto Geneſio.
Hierapolita epiſcopus Guichardus Lugdunenſis.
Hipponenſis epiſcopus Petrus Robini Gallus.
Hiſpalenſis archiepiſcopus Alphonſus de Toleto.
¶ Imolenſis epiſcopus Ioannes Dathus.
Inſulæ S. Thomæ epiſcopus, Gaſpar Cano.
Interamnenſis epiſcopus Ioannes Iacobus Neapolitanus.
¶ Lamoſenſis epiſcopus Ambroſius Neapolitanus.
Laudenſis epiſcopus Baſilius Laudenſis.
Leirienſis epiſcopus Gaſpar Caſalius.
Lincolnienſis Propræſul, Guilelmus Egumonde.
¶ Mantuanus Propræſul Ambroſius Neapolitanus.
Maſſenſis epiſcopus Ioannes Senenſis.
Matiſconenſis epiſcopus Ludouicus Chanterean.
Mediolanenſis archiepiſcopus Carolus Sfortia.
Meſſanus archiepiſcopus Dionyſius de Murcia.
Montisfalerij epiſcopus Petrus Apamienſis.
¶ Nazianzenus epiſcopus Auguſtinus Romanus.
Neapolitanus archiepiſcopus Iacobus de Viterbio.
Nepeſinus epiſcopus Egidius Piſaurenſis.
Nepeſinus epiſcopus Alexius Stradella.
Nicomediæ epiſcopus Guilelmus Vercellenſis.
Nordouicenſis Propræſul Benedictus Icenus.

Niuer-

Niuernenſis epiſcopus Carolus Arctier.
Nouarienſis epiſcopus Guilelmus Cremonenſis.
¶ Olorenſis epiſcopus Petrus Lemouix.
Olorenſis epiſcopus Petrus Olorenſis.
Ortanus epiſcopus Nicolaus Siculus.
¶ Pacenſis epiſcopus Martinus de Corduba.
Parienſis archiepiſcopus Paulus Zabarella.
Patauinus Propræſul Paulus Zabarella.
Piſſinenſis epiſcopus Guilelmus Egumondæ.
Popaian primus epiſcopus Auguſtinus de Caronio.
¶ Rauennæ archiepiſcopus Alexander de ſancto Elphegio.
Recanatenſis epiſcopus Nicolaus de Caſſia.
Roffenſis epiſcopus Ioannes Louue.
Romanæ eccleſiæ presb. Cardinalis Bonauentura Patauinus.
Romanæ eccleſiæ presbyter Cardinalis Alexander Oliua.
Romanæ eccleſiæ presbyter Cardinalis Egidius Viterbienſis.
Romanæ eccleſiæ presb. Cardinalis Hieronymus Seripandus.
Rouanenſis epiſcopus Ioannes Rouault.
¶ Salernitanus archiepiſcopus Hieronymus Seripandus.
Sauonenſis epiſcopus Gerardus Bergomenſis.
Schalæ epiſcopus Conſtantinus Montis S. Sauini.
Sebaſte epiſcopus Rodericus Hiſpanus.
Segobrigenſis epiſcopus Ioannes Munnatones.
Senogallenſis epiſcopus Petrus Lemouix.
Sidonienſis epiſcopus Ioannes Adæ.
Signinus epiſcopus Ioſeph Veronenſis.
Smirnenſis epiſcopus Eugenius Piſaurenſis.
Suctitanus epiſcopus Ioannes Caſſianus.
Sutrinus epiſcopus Egidius Piſaurenſis.
Sutrinus epiſcopus Alexius Stradella.
¶ Tarentinus archiepiſcopus Petrus Lemouix.
Terami epiſcopus Ioannes Iacobus Barba.
Thelesij epiſcopus Cherubinus de Caſſia.
¶ Valentinus archiepiſcopus Thomas à Villanoua.
Veliternorum Propræſul Eugenius Piſaurenſis.

Vero-

Verōnenſis epiſcopus Theobaldus Veronenſis.
Verulanus epiſcopus Clemens Romanus.
Vrbini epiſcopus Bartholomæus de Vrbino.
Vſellenſis epiſcopus Michael Magniches.
Vſſamanus epiſcopus Alphonſus de Toleto.

VIRI OFFICIO INSIGNES IN *Romana Curia, iuxta temporum ſeriem.*

AVguſtinus cognomento Nouellus Pænitentiarius Pontificum Romanorum & Cardinalium.
Iacobus Camertinus, Romanorum Pontificum pænitentiarius, & ſacrarij Pontificij cuſtos.
Ioannes Lemouix bibliothecarius, ſacriſta, & pænitentiarius Romanorum Pontificum.
Raymundus Apamienſis bibliothecarius, ſacriſta, & pænitentiarius Romanorum Pontif.
Petrus Ammalius Lemouix, pænitentiarius, ſacriſta, & bibliothecarins Roman. Pont.
Petrus Apamienſis pænitentiarius, ſacriſta, & bibliothecarius Roman. Pontif.
Petrus Aſſalbitus Lemouix pænitentiarius, ſacriſta, & bibliothecarius Romanorum Pont.
Rodulphus Caſtellanus pænitentiarius, ſacriſta, & bibliothecarius Roman. Pont.
Iacobus Aquitenſis Reginæ Ioannæ Ladislai regis ſororis Orator apud Romanos Pontif.
Ioannes Senenſis pænitentiarius, ſacriſta, & bibliothecarius Romanorum Pontif.
Euangeliſta Iacobaccius Romanus in baſilica Lateranenſi pænitentiariorum antiſtes.
Claudius Catallina Gallus in baſilica S. Petri pænitentiarius.
Paulus Romanus in baſilica S. Petri pænitentiarius.
Auguſtinus de Ciuitate Caſtelli pænitentiarius, & ſacriſta Romano-

manorum Pont.
Paulus à S.Geneſio Commendatarius Apoſtolicus.
Zacharias Sauonenſis, ſacrarij Pontificij cuſtos.
Nicolaus Aquulenſis ſacrarij Pontificij cuſtos.
Gabriel Anconitanus ſacrarij pontificij cuſtos.
Alphonſus Aquulenſis ſacrarij pontificij cuſtos.
Ioannes Iacobus Barba Neapolitanus ſacrarij pontificij cuſtos.
Egidius Piſaurenſis cuſtos ſacrarij pontificij, & magiſter ſcholæ cantorum.
Ioſeph Pamphilus Veronenſis cuſtos ſacrarij pontificij, & magiſter ſcholæ cantorum.

LEGATI SIVE NVNCII,

aut Oratores Principum.

LVdouicus Marſilius orator Reipublicæ Florentinæ ad principes Italiæ.
Ioannes Vobes Pariſienſis, Orator Regis Franciæ in concilio Conſtantienſi.
Guilelmus Forliuienſis, orator Georgij de Ordelaſſe Domini Forliuij in concilio Conſtantienſi.
Simon de Camerino Orator Reipublicæ Venetæ ad Franciſcũ Sfortiam Mediolanenſium ducem.
Marianus de Genazano nuncius Alexandri Papæ ſexti ad Federicum Neapolitanorum regem.
Egidius Viterbienſis Sedis apoſtolicæ Legatus in Hiſpaniam, cum Selymo, poſt debellatos Perſas, & duos Memphiticos reges interfectos, nobis arma comminante, Chriſtianæ gentes ad ſacrum bellum excitandæ viderentur.
Hieronymus Seripandus Neapolitanus, Orator ſuæ ciuitatis ad Carolum Quintum Imperatorem.
Hieronymus Seripandus Sedis apoſtolicæ Legatus in ſacroſancta Tridentina Synodo.

VIRI

VIRI QVI IN PVBLICIS SCHOLIS *functi ſunt docendi munere.*

Gvilelmus Sengham in Anglorum Gymnaſijs ſacrarum litterarum publicus prælector.
Egidius Columnius Romanus ſummo honore & fructu Lutetiæ Pariſiorum philoſophiam & theologiam publice docuit.
Thomas Borſtale Nordouolgienſis Anglus ad lecturam Theologiæ publicam in Gymnaſio Pariſienſi prælector admiſſus.
Iacobus de Viterbio, ſpeculatiuus doctor nominatus, Lutetiæ Pariſiorum prælector publicus, & in ſupremam eruditorum claſſem receptus.
Henricus de Vrimaria Alemanus multis annis in Gymnaſio Pariſienſi doctor egregius extitit, & celebri doctrina inſignis effulſit.
Albertus Patauinus Egidij Romani alumnus, Pariſijs libros ſacros ſumma diſcipulorum frequentia expoſuit.
Ioannes Vuilton Anglus Pariſijs, & in Anglia Oxonij, & Cantabrigiæ prælector publicus, quem Ioannes Baconus inſigniter collaudat, illius auctoritate in multis rationibus vſus.
Auguſtinus de Ancona Pariſijs publice docuit, vbi etiam quædam ſua Quodlibetta diſputauit, & egregie defendit.
Gerardus de Senis in Gymnaſio Bononiẽſi publicus prælector.
Ioannes Dencock Turingius Pragæ apud Boemos prælector publicus.
Bernardus Oliuarius Valentinus in Gymnaſio Pariſienſi prælector publicus.
Alphonſus Vargas de Toleto Pariſijs magno auditorum plauſu philoſophiam & theologiã multis annis publice ꝓfeſſus eſt.
Ioannes Gooduuyck Anglus Cantabrigiæ, & Oxonij, ſacras litteras publice docuit.
Galfridus Grandefeldt Anglus Cantabrigiæ publice theologiam docuit.

Ioannes de Fabriano in Gymnaſio Bononiēſi publicus prælect.
Gerardus Bergomenſis Pariſijs cathedram theologicam tenēs, Magiſtrum ſententiarum publice expoſuit, duoq. Quodlibetta terminauit.
Thomas de Argentina in multis publicis academijs, & præſertim Pariſina diu auditor & præceptor fuit.
Galfridus Hardeby Anglus in Gymnaſio Oxonienſi vtriuſque teſtamenti libros publice interpretatus eſt, ob quam rem in ſupremam eruditorum claſſem ab Oxonienſibus receptus.
Gregorius de Arimino Pariſijs, vbi multis annis magiſter & prælector fuit, ſuper libros Sententiarum commentaria edidit, quibus etiam nunc Pariſienſes, præ ceteris doctoribus, vt plurimum vtuntur.
Rogerus Glacton Hungtyngtonenſis in Cantabrigienſi academia publicus prælector.
Vgolinus Malabranca Vrbeuetanus, Pariſijs, vbi primam cathedram tenuit, maximo in pretio eſt habitus.
Thomas Asheburne Staffordienſis, Oxonij publice diuinas litteras docuit.
Henricus Bedericus aliàs de Bury Anglus, Pariſijs libros Sententiarum expoſuit.
Bankinus Londinenſis, Oxonij ſupremæ claſſis magiſter.
Bonſemblantes Patauinus Magiſtrum ſententiarũ in Gymnaſio Patauino expoſuit.
Thomas Vuinterton Anglus, dum Oxonienſibus in ſcholis quæſtiones ſubtilius agitaret, obtinuit ſupremi Ordinis in eo Gymnaſio magiſterium.
Ioannes Vualdeby Eboracenſis Oxonij, ad lecturam theologiæ publicam admiſſus.
Robertus Vualdeby, Toloſæ theologiã publice profeſſus eſt.
Auguſtinus de Aſculo in Gymnaſijs Bononienſi & Patauino, publice philoſophiam & theologiam docuit.
Ioannes Langham Anglus Cantabrigiæ philoſophiam & theologiam publice profeſſus eſt.
Conradus de Monte Puellarum Teutonicus in vniuerſitate Pariſienſi

riſienſi philoſophiam & ſacras litteras legit.

Bonauentum Patauinus in Pariſienſi Gymnaſio prope decem annis theologiam publice profeſſus eſt.

Ioannes de Lana Bononienſis Pariſijs publicas ex theologia & philoſophia lectiones habuit.

Facinus Aſtenſis philoſophiam & theologiam publice Bononiæ docuit.

Henricus de Haſſia Teutonicus in Vniuerſitate Pariſienſi diuinas litteras docuit: deinde pro decore nouæ plantationis Vniuerſitatis Viennenſis in Auſtria illò ſe contulit, & tum docendo tum ſcribendo magnam gloriam eruditionis ſuæ acquiſiuit.

Raymundus de Altoponte Gallus, Pariſijs ſacrarum litterarum publicus prælector.

Iacobus cognomento Magnus de Eubio dictus Toletanus, in Gymnaſijs Patauino & Pariſienſi publice diuinas & humanas litteras docuit.

Paulus Venetus in Gymnaſijs Senenſi, Peruſino, & Patauinó philoſophiam & theologiam publice profeſſus eſt.

Henricus de Gauda Teutonicus in gymnaſio Heydelbergenſi prælector publicus.

Dionyſius Florentinus in Academia Bononienſi philoſophiam Ariſtotelis longo tempore publice profeſſus eſt.

Ioannes Capgraue Anglus Oxonij publice diuinas litteras docuit, & vetus & nouum teſtamentum interpretatus eſt.

Alexander Oliua Saxoferratenſis Peruſiæ philoſóphiam publice docuit.

Laurentius Colonienſis in gymnaſio Pariſienſi multo tempore legit, docuit, & diſputauit.

Martinus Cordubenſis, primum in Gallia Tholoſanum, deinde Salmaticenſe in Hiſpania gymnaſia ſumma auditorum frequentia annis pluribus gubernauit & rexit.

Ioannes de Dorſten Teutonicus in Gymnaſio Erfordenſi vbi publice docuit in pretio eſt habitus.

Ioannes de Magdalena Luſitanus primam cathedram Vlyſſipo-

næ ob-

næ obtinens, ſex & viginti annorum ſpatio ibi theologiam docuit.

Guilelmus Galion Anglus Oxonij publicus prælector.

Thomas Pencketh Anglus, Patauij diu ſacram theologiam docuit, & primus opera Scoti emendauit, & typographis excudenda tradidit.

Aurelius Brandolinus Florentinus Budæ ac Strigoniæ multis annis publico munere inſtitutionem oratoriam docuit.

Rodericus S. Crucis Luſitanus, Vlyſſipone litteras humanas & diuinas publice docuit.

Dionyſius Vazquez à Toleto, Compluti in regno Toletano, ſacras litteras explanauit.

Benedictus Vlyxbonenſis, Vlyxbone litteras diuinas & humanas publice profeſſus eſt.

Alphonſus à Corduba in Academia Salmanticenſi multis annis fuit doctor regens, vbi rexit cathedram Gregorij Ariminenſis.

Michael Magniches Valentinus, ſæcularem philoſophiam, diuinas ſcripturas, & ius pontificium multis annis Valentiæ primum, deinde Ilerdæ publice profeſſus eſt.

Chriſtophorus Patauinus Romæ in academia, quam Sapientiã vocant, diuinas litteras docuit.

Gregorius Patauinus in eadem Academia ſimiliter diuinas litteras publice profeſſus eſt.

Ambroſius Quiſtellius Patauinus in publico Gymnaſio Patauino & Romano D. Pauli epiſtolas interpretatus eſt.

Ioannes Baptiſta Burgos Valentinus publice in vniuerſitate Valentina honorifice theologiam & ius canonicum docuit.

Franciſcus à Chriſto Luſitanus ſacræ theologiæ publicus in Conimbricenſi Academia profeſſor.

Thadæus Peruſinus multos annos publice in Gymnaſio Peruſino, & Romana Sapientia vtiliter legit.

Adeodatus Senenſis Theologiam in publico Senenſi Gymnaſio profeſſus eſt.

Ludouicus Legionenſis Hiſpanus diuinã philoſophiam in Salmanti-

manticenſi academia magno auditorum plauſu profitetur.

Franciſcus Piſanus philoſophiam Piſis in publico Gymnaſio honorifice profitetur.

Alexius Stradella in Gymnaſio Romano publice theologiam docuit.

Spiritus Vicentinus theologiam publice in Gymnaſio Romano honorifice profitetur.

VIRI QUI FUERUNT CONCIONATORES, aut à conſilijs, aut à ſecretis confeſſionibus Principum.

AVguſtinus de Ancona, Caroli & Roberti Neapolitanorum regum conſiliarius.

Dionyſius de Burgo ſancti Sepulchri Roberto Neapolitanorum regi acceptiſſimus.

Galfridus Hardeby Anglus Eduardi Anglorum regis confeſſarius & conſiliarius.

Thomas Eduuarſton Anglus Leonelli Clarentiæ ducis cõfeſſ.

Ioannes Magnus Toletanus Caroli ſeptimi Francorum regis confeſſarius.

Ioannes Louue Anglus Henrici ſexti Anglorũ regis cõſiliarius.

Iacobus Aquitenſis Reginæ Ioannæ Ladislai regis ſororis, conſiliarius & concionator.

Simonetus Camerinas Franciſci Sfortiæ Mediolanenſium ducis familiaris.

Ioan. Capgraue Anglus Hunfridi Gloceſtriæ ducis cõſiliarius.

Paulus Lulmius Bergomenſis Chriſtophori Mauri Venetiarum ducis familiaris.

Nicolaus Barianus Placentinus Herculis Eſtenſis Ferrariæ ducis concionator.

Ioannes de Magdalena Vlyſponenſis, Alphonſi principis filij Ioannis ſecundi Portugalliæ regis Præceptor.

Aurelius Brandolinus Florentinus, Matthiæ Coruini Hungarorum

rorum regis ſamiliaris.
Paulus à S. Geneſio Picenus, Philippo & Ludouico Sfortiæ Mediolanenſium ducibus gratiſſimus.
Martinus Vllate de Eſtella conſilio regali Nauariæ præſidens.
Rodericus Sanctæ Crucis Luſitanus, Emanueli Luſitaniæ regi gratiſſimus.
Bernardus Andreas Toloſanus, Henrici octaui Anglorum regis familiaris.
Dionyſius Vazquez à Toleto, Cæſaris Caroli V. concionator.
Ludouicus Chanterean Gallus à ſecretis confeſſionibus Chriſtianiſſimo regi Galliæ Franciſco Primo.
Iacobus Martinez Gallus Franciſco Chriſtianiſſimo Galliarum regi cariſſimus.
Ioannes Hoſmeiſterus Sueuus Carolo Cæſari ac Ferdinando regi acceptiſſimus.
Ioannes Munnatones, Caroli Hiſpaniarum principis, Philippi Secundi filij, magiſter & Præceptor.
Ambroſius Queſtellius Patauinus, Rodulphi Florentini Cardi nalis ampliſſimi præceptor & doctor.
Ferdinandus de Caſtro viridi Hiſpanus, Imperatoris Caroli Quinti concionator.
Carolus Arctier Gallus, Chriſtianiſſimi regis Galliæ Henrici Secundi eccleſiaſtes.
Alphonſus ab Orozco Hiſpanus, primo Caroli Quinti Cæſaris, deinde eius filij Philippi Hiſpaniarum regis concionator.
Ioannes è Staccio Antonij de Mendoza nouæ Hiſpaniæ proregis confeſſarius & conſiliarius.
Gaſpar Caſalius Luſitanus Ioannis tertij Luſitaniæ & Algarbiorum regis conſiliarius, eidemq. à ſecretis confeſſionibus, & regij Senatus de conſcientia præfectus.
Onuphrius Panuinius Veronenſis Alexandri Farneſij Cardinalis Vicecancellarij familiaris.
Alphonſus Gutierrez à Vera Cruce, Antonij de Mendoza & Ludouici de Velaſco Indiarum proregum conſiliarius.
Eugenius Piſaurenſis, Guidonis Ferrerij Vercellenſis Cardi-

nalis

nalis ampliſſimi, ſuæq. domus theologiæ doctor & lector.
Auguſtinus Fiuizanenſis à ſecretis confeſſionibus Gregorio Tertiodecimo Pontifici Max.

CATALOGVS EORVM QVI COMMENTARIA TVM IN VNIVERSA

Biblia ſacra, tum in ſingulos vtrinſque teſtamenti libros conſcripſerunt.

De modis intelligentiæ Scripturæ ſacræ.

Egidius Romanus de Canone Bibliæ & ſufficientia librorum Sacræ ſcripturæ.
Gerardus Bergomenſis de concordantia Noui cum veteri Teſtamento.
Hermannus de Scildis de ſenſibus Sacræ ſcripturæ.
Ioannes Capgraue de doctrina Chriſtiana.
Gaſpar Caſalius Luſitanus de Axiomatibus Chriſtianis.
Laurentius Xerezanus de recte formando ſacrarum litterarum ſtudio.

In vniuerſa Biblia.

Albertus Patauinus.
Galfridus Hardebi Anglus.
Thomas Asheburne Anglus.
Ioannes Capgraue Anglus.
Ludouicus Marſilius Florentinus vetus & nouum teſtamentum Heroicis verſibus conſcripſit.

In Geneſim ſcripſerunt.

Albertus Patauinus.
Hermannus de Scildis.

Michael de Maſſa.
Ioannes Gooduuyck Anglus.
Henricus de Haſſia.

¶ In principium Geneſeos ſiue Hexameron.

Egidius Romanus.
Hermannus de Scildis.
Andreas de Bilijs Mediolanenſis.
Martinus de Corduba.
Egidius Viterbienſis.
Ambroſius Neapolitanus.

¶ In Exodum.

Albertus Patauinus.

¶ In Leuiticum.

Albertus Patauinus.
Michael de Maſſa.

¶ In Numeros.

Albertus Patauinus.

¶ In Deuteronomium.

Albertus Patauinus.

¶ In Tobiam.

Ioannes Hofmeiſterus.

¶ In Iob.

Felix Pratenſis ex Hebræo tranſtulit.

¶ In Pſalmos.

Felix Pratenſis ex Hebræo tranſtulit.

Gui-

Guilelmus Fontanus Anglus.
Richardus Pampolitanus Angloſaxo.
Ioannes Gooduuxck Anglus.
Ioannes Rideuual Anglus.
Iacobus Perez Valentinus.
Egidius Viterbienſis in Pſalmos aliquot.
Paulus Zabarella Patauinus in ſeptem Pſalmos pænitentiales.
Gabriel Buratellus Anconitanus in eoſdem ſeptem pænitentiæ Pſalmos.

¶ In Prouerbia Salomonis.

Petrus Bruniquellus.

¶ In Eccleſiaſten.

Petrus Bruniquellus.

¶ In Cantica Canticorum.

Egidius Romanus.
Henricus de Vrimaria.
Hermannus de Scildis.
Ioannes Rideuual Anglus.
Henricus de Haſſia.
Gerardus Bergomenſis.
Ioannes de Sulmone.
Petrus Bruniquellus.
Iacobus Perez de Valentia.

¶ In Eſaiam Prophetam.

Michael de Maſſa.

¶ In Threnos Hieremiæ.

Ricardus Pampolitanus Angloſaxo.

¶ In Ezechielem.

Michael de Maſſa.
Auguſtinus de Ancona.

¶ In Danielem.

Ioannes Gooduuick Anglus.

¶ In Euangeliſtas omnes.

Albertus Patauinus.
Auguſtinns de Ancona.

Michael de Maſſa.
Guilelmus Cremonenſis.
Simon de Caſſia.
Guilelmus Fontanus Anglus.
Andreas de Bilijs Mediolanenſis.
Onuphrius Oſtecutus Florentinus.

¶ In Euangelium D. Matthæi.

Ioannes Hofmeiſterus.
Ioannes Soarez Luſitanus.

¶ In Euangelium D. Marci.

Ioannes Hofmeiſterus.

In Euangelium D. Lucæ.

Ioannes Bury Clarenſis.
Ioannes Hofmeiſterus.

¶ In Euangelium D. Ioannis.

Egidius Romanus.
Ioannes Rideuual Anglus.
Dionyſius Vaſquez Toletanus.

¶ In Acta Apoſtolorum.

Auguſtinus de Ancona.
Onuphrius Oſtecutus Florentinus.
Ioannes Hofmeiſterus.

¶ In Epiſtolas omnes D. Pauli.

Albertus Patauinus.
Auguſtinus de Ancona.
Gregorius Ariminenſis.
Auguſtinus Romanus.
Ioannes Rideuual Anglus.
Raymundus de Altoponte Gallus.
Martinus de Corduba.
Aurelius Brandolinus Florentinus.
Ioannes Rochus Papienſis.
Bernardus Sauonenſis.
Ambroſius Quiſtellius Patauinus.
Hieronymus Seripandus.

¶ In

¶ In Epiſtolam ad Romanos.

Egidius Romanus.
Dionyſius Vaſquez Toletanus.
Philibertus Hareſche Pariſienſis.

¶ In Epiſtolas ad Corinthios.

Egidius Romanus.
Ioannes Hoſmeiſterus.

¶ In Epiſtolas ad Timotheum.

Ioannes Auguſtinus Baſſianinus.

¶ In Epiſtolam ad Hebræos.

Gerardus Bergomenſis.
Ioannes Gooduuyck Anglus.

¶ In Canonicas omnes.

Auguſtinus de Ancona.
Auguſtinus Romanus.
Hieronymus Seripandus.

¶ In Epiſtolam D. Iacobi.

Bonauentura Patauinus.

¶ In Epiſtolas D. Ioannis.

Bonauentura Patauinus.

¶ In Apocalypſin D. Ioannis.

Auguſtinus de Ancona.
Auguſtinus Romanus.
Thomas de Stureia Anglus.
Iordanus de Saxonia.
Bertrandus Parayte Toloſanus.
Martinus de Corduba.
Ioannes de Sulmone.
Philippus de Mantua.
Simon Baringuedus Toloſanus.

QVI SCRIPSERVNT DE ECCLEſiaſtica poteſtate in defenſione auctoritatis & iuriſdictionis Romani Pontificis.

IAcobus Viterbienſis ad Clementem Quintum Pont. Max. ſcripſit libros 2. De regimine Chriſtianitatis.

Egidius Romanus in gratiam Bonifacij Octaui Pont. Max. ob controuerſiam renunciationis Pontificatus Cæleſtini, edidit librum de Renunciatione Papæ.

Idem ſcripſit libros tres, De eccleſiaſtica poteſtate, & librum, De excellentia ſummi Pontificatus.

Alexander de Sancto Elpidio ſcripſit libros duos, vnum De Eccleſiaſtica vnitate, alterum De iuriſdictione Imperij, & auctoritate ſummi Pontificis, ad Ioannem xxij. Pont. Max.

Auguſtinus de Ancona ad eundem Ioannem Pont. Max. ſcripſit opus non paruum, De poteſtate eccleſiaſtica.

Guilelmus Cremonenſis ſcripſit De authoritate apoſtolica librum inſcriptum Reprobatio ſex errorum.

Bartholomæus de Vrbino edidit librum de Rom. Pont. Chriſti Vicarij authoritate, contra errores qui inuenti fuerunt tempore Ludouici Bauariæ ducis.

Auguſtinus Romanus ſcripſit librum de Poteſtate Papæ.

Guilelmus Becchius Florentinus ſcripſit librum De Poteſtate eccleſiaſtica.

Paulus Zabarella Patauinus ſcripſit ad Clementem Septimum Librum De reformatione eccleſiæ.

Conradus Tregarius Heluetius Librum edidit de eccleſiæ conciliorumque authoritate.

Peregrinus Naſellus Patauinus librum ſcrip. de Poteſtate ſummi Pontificis & concilij, cum comparatione adinuicem.

Onuphrius Panuinius Veronenſis librum edidit de dignitate ſedis apoſtolicæ & Poteſtate Papæ aduerſus authores Centuriarum.

CATALOGVS HOMINVM IN HIS CHRONICIS ENVMERATORVM.

A

ADAM Montaltus Genuen. fol. 88
Adamantius Florentinus. 124. 131
Adeodatus Senenſis. 123. 127
Albertinus Veronenſis. 25
Albertus Boſteten. 108
Albertus Nouellus. 94
Albertus Patauinus. 45
Albertus de Saxonia. 48
Aldebrandinus Caualcantes. 65
Alexander de S. Elpidio. 40. 44. 45. 46.
Alexander Oliua. 83. & inde.
Alexius Stradella. 131
Aliphat Anglus. 59
Alipius Carmaniola. 85
Alphonſus de Aluarado. 115
Alphonſus Aquulenſis. 113. 116
Alphonſus Arelatenſis. 90
Alphonſus de Borgia. 112
Alphonſus de Corduba. 114
Alphonſus Gutierrez. 130
Alphonſus de Madrid. 120
Alphonſus ab Orozco. 121. 124
Alphonſus de Toleto. 54
Alphon. à Vera cruce. 116. 119. 120.
Aluarus Montero. 114
Ambroſius Calepinus. 102
Ambroſius Coranus. 90. 92. 93
Ambroſius Frigerius Baſſianẽ. 132
Ambroſius Homodei. 80
Ambroſius Neapolitanus. 109
Ambroſius Quiſtellius Patauinus 117.
Ambroſius Veronenſis. 124
Andreas de Aguirre. 124
Andreas de Bilijs. 74. 78
Andreas de Mata. 119
Andreas de Monteregali. 92
Andreas de Ortega. 116. 120. 122. 124.
Andreas Proles. 97
Andreas Salazar. 116. 120
Andreas Volaterranus. 124
Andreas de Vrdaneta. 124
Angelus Bellabuccus. 108
Angelus Camertinus. 34
Angelus Ferus. 123. 127
Angelus Hetruſcus. 25
Anſelmus de Mõtefalco. 93. 94. 96
Anſelmus Vicentinus. 112
Antoninus Siculus. 132
Antonius de Aguilar. 115
Antonius de Amandola. 73
Antonius Aſtenſis. 67
Antonius de Corneto. 73
Antonius Dulciatus Florent. 104
Antonius de Fuentes. 95

Antonius

Antonius Melius Cremon. 105
Antonius Mondulphenſis. 124
Antonius de Nomis. 73
Antonius de Pedilla. 95
Antonius de Rampegolis. 72 73
Antonius de Rauenna. 66
Antonius pe Roa. 123
Augur Romanus. 32
S. Auguſtinus L. & inde. 25.46
59. 91.
Auguſtinus de Ancona. 46.53.97
Auguſtinus de Aſculo. 65
Auguſtinus de Biella. 94
Auguſtinus de Caronio. 112. 120
Auguſtinus Cazolus. 29
Auguſtinis de Ciuitate Caſtelli.
95.97.
Auguſtinus Tiuizanenſis. 105.129
Auguſtinus Fogiadenus. 111
Auguſtinus pe Goneſſa. 70
Auguſtinus Guarinus. 126
Auguſtinus de Ieſu Luſitanus. 121
Auguſtinus Interamnenſis. 94.101
Auguſtinus Moreſchinus. 123.124
Auguſtinus Muſæus Triuiſianus.
117
Auguſtinus Nouellus. 33.34.35.36
Auguſtinus Romanus. 73.76.79
Auguſtinus Saturnius. 111
Aurelius Brandelinus Lippus. 95
Aurelius Corinaltenſis. 124
Aurelius à Rocha. 118.123
Aurelius Patauinus. 123

B

Balthazar Maſſanus. 124
Balthazar Melgareo. 110
Bandinus Senenſis. 66
BanKinus Londinenſis. 62
Baptiſta Alouiſianus. 97
Baptiſta Pogius. 87
Bartholemæus Cazulus. 77
Bartbolomæus Venetus. 65
Bartholomæus Vrbeuetanus. 73
Bartholomæus de Vrbino. 53
Bartholomæus de Vſingen. 109
Baſilius Laudenſis. 65
Baſilius de Ripa Brixien. 100
Bellinus de Padua. 111
Benedictus Icenus ſeu Nordonolgius. 57
Benedictus de Vlyxbona. 108
Benignus de Ianua. 100
Bernardus Andreas Toloſanus. 155
Bernardus Angiolerius. 54
Bernardus Hoiguin. 122
Bernardus de Martellinis. 80
Bernardus Oliuarius. 52
Bernardus Bauonenſis. 85
Bertholdus Ratiſponenſis. 73
Bertrandus Parayte Toloſanus. 65
Boethius de Tolentino. 78
Bonauentura de Padua. 62.64.67
Bonſemblantes de Padua. 63
Bonus Senenſis. 37

C

Carolus Ardier Gallus. 121
Carolus Sfortia. 78
Cherubinus Lauoſius. 123
Chriſtianus Francus. 68
Chriſtina de Vicecomitibus. 85
Chriſtophorus Bononienſis. 73
Chriſtophorus Patauinus. 118
123.128.
Chriſtophorus Piſaurenſis. 84
Chriſtophorus de Sanctotis. 124
Clara de Montefalco. 25
Claudius Catallina. 86
Clemens de Auximo. 31.32.33
38. 40.
Clemens Romanus. 70

Con-

Conradus de Monte Puellarum. 66
Conradus Tregarius Heluetius. 109
Conſtantinus à Monte S.Sauini. 132

D

Damianus de Vdancos. 122
Deſiderius Parodius. 104
Diamalducius Forolinienſis. 50
Didacus de Salamanca. 119
Dionyſius de Burgo S.Sepulchri. 49
Dionyſius Collenſis. 88
Dionyſius Florentinus. 80
Dionyſius de Murcia. 101
Dionyſius de Mutina. 53
Dionyſius de Sigillo. 130
Dionyſius Toletanus. 106
Dionyſius Vazquez. ibid.
Donatus Marra Beneuentanus. 131

E

Egidius Piſaurenſis. 123 124
Egidius Romanus. 32.41
& inde 54
Egidius Viterbienſis. 102.104.105
107.110
Egidius Volaterranus. 124
Euangeliſta Iacobacius. 86
Eugenius Piſaurenſis. 124.131
Exarcus Hiſpanus. 90

F

Fabianus Ianuenſis. 116.121
Facinus Aſtenſis. 69
Felix Appulus. 94
Felix Pratenſis. 108
Ferdinandus de Caſtro Verde. 119
S. Franciſcus. 25.26
Franciſcus à Chriſto. 127
Franciſcus à Cruce. 112.113.119
Franciſcus Gambaſienſis. 116
Franciſcus Mellinus. 80
Franciſcus de Nerli. 78
Franciſcus Piſanus. 132
Franciſcus de Regio. 31
Franciſcus Ricardotus. 123.126
Franciſcus Rubienſis. 34.35
Franciſcus Salelles Valentinus. 36
Franciſcus de Zampano. 99

G

Gabriel Anconitanus. 103.113
Gabriel Buratellus. 123.125
Gabriel de Spoletio. 75
Gabriel Venetus. 107.175
Galfridus Grandefelt. 55
Galfridus Hardeby. 57
Gaſpar Ammonius. 105
Gaſpar Cano. 119
Gaſpar Syracuſanus. 123
Gaſpar Caſalius. 121.123
Gaſpar Vrbeuetanus. 91
Georgius de Vuila. 112.115
Georgius Cremonenſis. 80
Gerardus Ariminenſis. 76.77
Gerardus Bergomenſis. 56
Gerardus de Senis. 49
Gonſaluus Barahona. 108
Gotſcalcus Hollen. 101
Gratianus Florentinus. 73
Gratianus Fulginas. 97.99.101
Gregorius de Alexandria. 78
Gregorius de Arimino. 57.58
Gregorius Patauinus. 117.123
Gualterus Recluſus. 32
Guido de Belreguardo. 60.62
Guido de Stagio. 31
Guichardus de Leſſardo. 104
S.Guilelmus. 25.28
Guilelmus Alarzhen. 117
Guilelmus Anconitanus. 31
Guilelmus Becchius. 84.86
Guilelmus Bononienſis. 123
Guilelmus Cremonenſis. 46.50

1 & inde. 52.53
Guilelmus Egumonde. 61
Guilelmus Flete. 59
Guilelmus Fontanus. 70
Guilelmus Forliuienſis. 72
Guilelmus Galion. 92
Guilelmus Sengham. 25.29
Guilelmus Vnellys, alias Fõtanus. 70

H

Helena de Vtino. 81
Henricus Bedericus. 61
Henricus Bituricenſis. 72
Henricus de bury. 61
Henricus de Gaudia. 78
Henricus de Haſſia. 71
Henricus de Langenſtein. 71
Henricus de Vrimaria. 40.41
Hermannus de Allis. 47
Hermanus de Scildis. 48
Hertinodus Gothus. 31
Hieremias de Spoletio. 32
Hieronymus Ariminenſis. 70
Hieronymus Fulginas. 111
Hieronymus Melendez. 116
Hieronymus Niger Foſſaninus. 120
Hieronymus Patauinus. 101
Hieronymus Plumatius. 112
Hieronymus Roman Hiſp. 130
Hieronymus Romanus. 100
Hieronymus Scripandus. 95.115
116.118.120. & inde. 122.123
Hieronymus Veronenſis. 113
Hieronymus Ximenez. 112.113
115.119.193

I

Iacobus Aquilanus. 87
Iacobus Aquitenſis. 80
Iacobus Buſſolarius. 57
Iacobus Camertinus. 34
Iacobus de Cerqueto. 59
Iacobus de Herrera. 124
Iacobus Magnus. 72
Iacobus Martinez. 114
Iacobus Neapolitanus. 58
Iacobus Ortanus. 36
Iacobus Perez. 96
Iacobus Peruſinus. 32
Iacobus Philippus Bergom. 80.100
Iacobus Philip. de Vallegrana. 90
Iacobus Pratenſis. 85
Iacobus de S. Maximino. 90
Iacobus Senenſis. 66
Iacobus de Vertauillo. 120.122
Iacobus Viterbienſis. 35.50
Iacobus Vueldius Flandrus. 121
Ioannes Adę. 73
Ioannes de Alarcon. 76
Ioannes Antonius Veronen. 114
Ioannes Auguſtinus Baſſianinus. 118
Ioannes Baptiſta Burgos. 124.126
Ioannes Baptiſta Neapolitanus. 94
Ioannes Baptiſta Signorius. 104
Ioannes Baptiſta Augubinus. 132
Ioannes Baſilienſis. 55
Ioannes Bechofen. 101
Ioannes Benedictus Moncetius. 101
Ioannes Beonardus. 114
Ioannes Bernardus Fortis. 94
Ioannes Bloch Alemanus. 72
Ioannes Bonus. 25
Ioannes Brome. 76
Ioannes Bury. 85
Ioannes Caſſianus. 73
Ioannes Capgraue. 82
Ioannes Clinoth de Saxonia. 67
Ioannes de Cruce Gallus. 104
Ioannes Cremonenſis. 31
Ioannes Dathus. 84
Ioannes Dencock. 52
Ioannes de Dorſten. 87

Ioan-

Ioannes Erghon. 92
Ioannes Euangeliſta Veronen. 42.63
Ioannes de Fabriano. 56
Ioannes Franciſcus Libertas. 121
Ioannes Ferdinandus. 106
Ioannes Gooduuyck. 58
Ioannes de Gueuara. 119
Ioannes Hickeley. 75
Ioannes Hiſpalenſis. 123
Ioannes Hoſmeiſterus. 114
Ioannes Iacobus Barba. 116.123
Ioannes de Lana. 68
Ioannes Langham. 66
Ioannes de Lanshen. 95
Ioannes Lemouix. 41.55
Ioannes Louue. 76
Ioannes Lydgate. 88
Ioannes de Maclouia. 71
Ioannes de Magdalena. 97. 108
Ioannes de Medina. 119.124
Ioannes Moia. 119
Ioannes Munnatones. 117.123
Ioannes Nouarienſis. 80
Ioannes de Oſeguera. 112
Ioannes de Perez. 119
Ioannes de Pratis. 72
Ioannes a S. Pietro. 116.120.124
Ioannes a S. Ioſeph Luſit. 130
Ioannes Reatinus. 55
Ioannes Rideuuali. 47
Ioannes Rochus Papienſis. 75.77
Ioannes de S. Romano. 112.116.119
Ioannes Rouault. 108
Ioannes de Sabagum. 86
Ioannes Senenſis. 52.85.95
Ioannes Slolei. 83
Ioannes de Sulmona. 52
Ioannes Soarez. 127
Ioannes è Staccio. 113.116.119
Ioannes Stoneus. 113
Ioannes Stringarius. 76
Ioannes de Suzano Placentinus. 49
Ioannes Tertius Senenſis. 66
Ioannes Tonneys. 95
Ioannes Vobes. 72
Ioannes Vualdeby. 64
Ioannes Vuilton. 45
Ioannes Xuarez. 123.127
Iordanus de Saxonia. 71
Ioſeph Pamphilus Veronen. 124. 129. 132.
Iſaias de Cracouia. 72
Iulianus de Salem. 79

L

Lanfrācus Septalanus. 25.30.31.
Laurentius Colonienſis. 85
Laurentius a Villauicentio. 121
Leonardus Viterbienſis. 32
Lucas de Offida. 73
Ludolfus de Canoslaria. 70
Ludouicus de Aſſais. 90
Ludouicus Capuanus. 70
Ludouicus Chanterean. 108
Ludouicus Hurtado. 127
Ludouicus Legionenſis. 127
Ludouicus Marſilius. 62
Ludouicus de Montoya. 114
Ludouicus Sauonarola. 77
Ludouicus Villalobos. 90

M

Marcus Bocturnius. 112
Marianus Feltrenſis. 123
Marianus de Genazano. 94.96.97
Martinus de Corduba. 87
Martinus de Errada. 124
Martinus Vllate. 100
Matthæus de Aſculo. 58
Matthæus Luthus. 80
Matthæus Albingenus. 90
Matthæus Patauinus. 56

Matthæus Viterbienſis. 32
Melidonius Coriolanus. 132
Michael de Aluarado. 119
Michael Magnicbes. 114
Michael de Maſſa. 49
S. Monycha. 1.2.74.81

N

Nicolaus de Agreda. 117
Nicolaus Aquulenſis. 99.103
Nicolaus Barianus. 91
Nicolaus de Caſſia. 69.72
Nicolaus Palmerius. 97
Nicolaus de Perea. 115.119
Nicolaus Romagnanus. 108
Nicolaus Scutellius. 112
Nicolaus de Tinis. 67
Nicolaus de Tolentino. 29.33.48.68.82
Nicolaus de Tolẽtino Hiſpanus. 114
Nicolaus Veronenſis. 104
Nicolaus de Vitte. 123
Nicolatius Senenſis. 66

O

Onuphrius Oſtecutus Floren. 68
Onuphrius Panuinius Veronen. 125

P

Paulus Bergomenſis. 69
Paulus Genazanenſis. 101
Paulus à S. Geneſio. 96
Paulus Lulmius. 99
Paulus Peruſinus. 33
Paulus Romanus. 86
Paulus Senenſis. 123
Paulus Venetus. 72.74
Paulus de Verona. 91
Paulus Zabarella. 100.111
Peregrinus Naſellus. 115
Petrus Ammalius Lemouix. 59.62
Petrus Apamienſis. 62
Petrus Aſſalbitus. 66.75.77
Petrus Aurelius Sanutus. 117
Petrus de Balneo. 67
Petrus de Bruniquello. 72
Petrus à Camerato. 40
Petrus Donatus de Aretio. 48
Petrus de Nizza. 90
Petrus Mainanus. 52
Petrus de Gamboa. 124
Petrus Guerente. 116
Petrus Olorenſis. 70
Petrus Robini. 74
Petrus de Rubeis. 90
Petrus Senenſis. 66
Petrus de Spira. 65
Petrus de Valle Roſia. 53
Petrus de Vena. 72
Philippus Aimillo. 107
Philippus Groppantes. 94
Philippus de Mantua. 104
Philippus Placentinus. 52
Philippus Valentinus. 90
Philippus Venetus. 85
Philibertus Harcſche. 111

R

Radclyf Anglus. 60
Radulphus Marham. 59
Raymundus de Altoponte. 72
Raymundus Apamienſis. 55.59
Reinhardus de Laudenburg. 94
Ricardus Cheſer. 70
Ricardus Pampolitanus. 73
Rita de Caſſia. 92
Robertus Vualdeby. 64
Robertus Vuorſop. 60
Rodericus de S. Cruce. 105.108
Rodericus de S. Martino. 95
Rodericus de Solis. 130
Rodulphus Caſtellanus. 77.85
Rogerus Glaſton. 59

Roge-

Rogerus Good Lucke. 66

Rogerus Tuuiforde. 66

Rogerus Venray. 95

S

Salimbenus de S. Geneſio. 90

Sanctus de Cora. 66

Sancta de Genazano. 88

Sanctes de Monte regali. 115

Sebaſtianus Broilus. 126

Sebaſtianus Fanenſis. 124

Sebaſtianus Tuſcanus. 127

Sebaſtianus de Traſſiera. 115

Simon Baringuedus. 61

Simon Bononienſis. 63

Simon Camertinus. 77.81.& inde.

Simon de Caſſia. 51

Simon Cornetanus. 32

Simon de Cremona. 51

Simon Florentinus. 124

Simon Patauinus. 124

Simon Piſtorienſis. 34

Simon Sothray. 64

Simon Tornaquincius. 70

Simon de Tuderto. 67

Spiritus Angoſciolus Vicent. 131

Stephanus Recanatenſis. 112

Stephanus Senenſis. 70

Syluester de Balneo regio. 93

Syluester Meuccius. 108

Syluester Vicentinus. 116

T

Thaddæus Peruſinus. 123. 127. 128.129

Theobaldus Veronenſis. 34

Theodoricus Vrias. 72

Theodorus Quallia Mant. 118

Theophilus Neapolitanus. 115.131

Theophilus Triuilienſis. 125

Theophilus à Vairano. 131

Tholomæus Venetus. 65

Thomas de Arimino. 56

Thomas de Argentina. 54. 56. 57

Thomas Asheburne. 61

Thomas Borſtale. 34

Thomas Eduuardſton. 63

Thomas Pencketh. 92

Thomas Spilimberga. 90

Thomas de Stureia. 61

Thomas Villanouanus. 116.119

Thomas Vuinterton. 63

V

Valerius Bononienſis. 111

Valerius Genuenſis. 97

Vgolinus Vrbeuctanus. 59.60

Vincentius Montagneſius. 130

Vitus Pannonius. 34

Vlricus Scultetus. 47

Z

Zacharias Sauonenſis. 97. 99

F I N I S.

Errata quædam inter excudendum, quæ lectorem incautum vel turbare vel remorari poſſent.

Fol.	Fac.	Lin.		
2	1	21	lingua	ligna
2	2	7	parre	patre
4	1	4	Heracliũ alias Eradium	
4	1	7	Iuliani apoſtatę Iuliani Pelagiani, referente Proſpero Aquitanico inter impetum obſidentium Vandalorum, ſub ipſum ſuæ vitæ finem reſpondens, & glorioſe in defenſione Chriſtianæ gratię perſeuerans: quo, &c.	
25	2	15	doctoris	doctis
35	2	12	remiſſæ	remiſſa
39	1	32	Senatum	Senarum
52	1	33	aſpernere	ſpernere
54	1	24	excuſæ	excuſa
62	1	27	Apanienſis	Apamienſis
65	1	20	prę_dicabant	prædicabat
68	2	18	aut	haud
72	1	24	tanq;	tanquam
72	2	17	Rengaxio	Rengario
72	2	23	Commentaria, quę extant in bibliothecis Germanię. Præterea vero totam ferme, &c.	
73	1	21	fuerant	fuerat
73	2	14	eremiæ	Hieremiæ
73	2	28	cõponebãtur	cõperiebãtur
78	2	27	Rhemeriſem	Rhemenſem
80	1	8	pene	ponè
85	1	11	Carnaniola	Carmaniola
89	2	3	modo alias	titulo
89	2	13	apportaſſet	apportaſſent
92	2	27	apud	opus
98	2	12	guſtu	geſtu
99	2	28	Aquilenſis	Aquulenſis
101	1	15	penitionibus	penitioribus
102	1	19	euaſerunt	euaſerant
102	1	32	dictum	editum
102	2	18	profeſſus: ſit alias	profeſſus ſit: aliàs
103	1	1	feſtiuitatibus	feſtiuitatum
104	2	3	ſtudiorum	ſtudioſum
105	2	23	Langingea	Laugingen
106	1	27	ꝙ	quod
106	2	26	colligere	colligare
107	1	34	occupant	occuparet
107	2	18	commode	commodæ
110	2	2	comparant	comparat
113	2	17	poterit	potuit
115	1	29	mihi	vidi
115	2	31	prudenter	prudentes
117	2	21	audentium	audientium
120	2	3	perficiant	perficiat
121	2	24	decorantur	decorarunt
122	1	14	Chriſtianæ	Chriſtianè
122	2	26	num	nunc
124	2	6	graduati, vt poſſint	graduati: poſſint
126	2	15	penultis	peractis
130	1	25	venerabantur	Ioannes de Sumaraga &c.
130	1	28	allegabant	allegabat
130	2	25	ad vicus	ad cuius
131	1	26	Seradella	Stradella
132	1	3	& proſequeretur	ſuperfluum.
139	1	2	Bonauentũ	Bonauentura

In præfatione fac. 2. lin. 21.
Clyſei Eliſei.

In Indice Auctorũ quorum, &c. colum. 2. verſus finem, legendum. Thomas Coſbius Vatcfordenſis epiſcopus.

Regeſtum.

(ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk

Ll Mm Nn Oo.

Omnes ſunt Duerniones.



R O M AE,

Apud Vincentium Accoltum.

1 5 8 1.

A01 1470800

Digitized by Google

D.29.